Digitized by Google

UNIVE NT

Digitized by Google

Hist. 4422.

Digitized by Google

Hist. 4422.

Digitized by Google

NECROLOGIUM

ALIQUOT

UTRIUSQUE SEXÛS

ROMANO-CATHOLICORUM.

Qui vel ſcientiâ, vel Pietate, vel zelo pro Communi Eccleſiæ bono apud Belgas claruerunt ab anno 1600. uſque 1739.

Juſtorum SPECIES quaſi quædam Forma nobis imitanda proponitur. S. Greg. Magnus.

INSULIS FLANDRORUM,

Apud JOANNEM BAPTISTAM BROVELLIO,

M. D. CC. XXXIX.

Digitized by Google

Duo illa nos maximè movent, Similitudo & Exemplum. Cicero.

BIBL. UNIV. GAND.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

CUm ſubinde mecum Belgarum noſtrorum ingenia ac labores conſidero, videntur mihi Ditionum noſtrarum homines in hoc culpandi, quòd majorum ſuorum ſignanter viciniorum temporum geſta parvi æſtimantes & ingenium & tempus ſuum antiquis atque extraneis perveſtigandis penè totum impendant, circa quod etiam ſe reum jam ætate maturior agnovit magnus LIPSIUS, teſte Miræo in illius vita. Deplorabat id quoque nuper doctus Belga condignis encomiis extollens Gallorum curioſitatem, qui grandi ſolertiâ quidquid in ſuæ gentis hominibus laude dignum eſt, adnotantes per NECROLOGIA & varii generis ſcripta omnes inſignes Regni ſui Perſonas apud Poſteros identidem ſiſtunt quaſi redivivas. Noverat is, me ex ſchedis illuſtris defuncti, & aliunde rogatu quorumdam amicorum à pluribus annis deſcripſiſſe diem obitûs aliquot utriuſque ſexûs Orthodoxorum, qui apud noſtrates claruerant, obtinuitque viri auctoritas, ut & factam collectionem quibusdam additamentis ampliarem, & usque ad præſens tempus extenderem. Et cùm haud juſtum foret permittere, ut tot præclarorum homi-

mi-

minum memoria ſine fructu pereat & evaneſcat; viſum fuit Opuſculum typis publicis committere. Inveniet in eo æquus rerum æſtimator, quod legiſſe haudquaquam illum pæniteat, invenient Belgæ præclara exempla quæ imitentur, diſcent exteri, etiam apud Belgas reperiri & conſervari virtutum inſignia monumenta & ſcientiarum omnium claves ac adyta. Huic opellæ noſtræ (quæ Prodromus duntaxat eſt & illicium fuſioris accuratioriſque NECROLOGII feliciori calamo concinnandi) tu Lector fave, eâque interim utere, & pro humanitate tuâ errata, ſi quæ deprehendes, condona & emenda. Cæterùm ſi in hâc Collectione pauculos reperias, qui nativitate Belgæ non ſunt, conſtat certò, eos bonam vitæ ſuæ partem exegiſſe in Belgio, atque ita apud Belgas claruiſſe, ſicut fert titulus.

Mortis

Dies.	*annus*	

JANUARIO.

3. 1711. THeodorus Ferdinandus van Hecke *Bruxellenſis*, Gymnaſii S. S. Trinitatis in Academiâ Lovanienſi per decem annos vigilantiſſimus Regens. Fuerat olim in quatuor Pædagogiorum concurſu quintam palmam adeptus, dein ſub directione eximii viri G. Marcelli Claes in collegio Malderiano ſcientiâ verè theologicâ & præſertim S. S. Litterarum notitiâ egregiè imbutus, græcè etiam & hebraïcè ad S. Scripturam penitiùs intelligendam doctus. Numquàm quærens quæ ſua ſunt, commodis propriis poſthabitis unicè gymnaſii utilitati & juventutis ſaluti ſe impendit, frangens parvulis evangelicæ doctrinæ panem & ut verus paterfamilias proferens identidem de theſauro Scripturarum nova & vetera. In pauperes ac pias, ut vocant, cauſas & vivens & moriens fuit liberaliſſimus: pro veritate autem & purioris moralis doctrina eô erat zelô, ut præſto eſſet pro illa & ſe & ſua omnia immolare.

4. 1693. Henricus Franciſcus d'Elborne *Stabulenſis* Paſtor Spadanus. Pluribus an-

nis partim Lutetiæ in ſeminario Oratorii, partim Lovanii in collegio Adriani VI. Pont: ſpiritui eccleſiaſtico acquirendo conſecratis, ſacerdotium obediens iis, in quibus Deum præcipientem conſiderabat, reluctans ſuſcepit, uti & cum majori formidine ſuſcepit regimen animarum, quo primùm laudatiſſimè functus eſt Bruxellis in directione religioſarum vulgò Lotharingarum, deinde Parochiæ Spadanæ, cui vitâ ſuâ exemplari, doctrinâ, judicii maturitate, morum ſuavitate & dicendi facundiâ mirè congruebat. Reſiſtens carni & ſanguini, opulento canonicatui prætulit Evangelium annuntiare pauperibus. Morti propinquus, quam ei in primo curæ paſtoritiæ zelo phtiſis attulit, aiebat, ſe fiducialiter expectare judicium miſericordiæ: nimirúm à teneris fuerat mundi contemptor in ſolo Deo ponens ſpem ſuam. Expirantis ultima verba notata ſunt: *Maledictus homo, qui conſidit in homine.*

5 | 1692. Philippus Joſephus Hocqueux *Montenſis* S. T. L. vir ſummæ expectationis: unà cum Opſtratio S. Theologiæ Lauream adeptus, docuit aliquo tempore ſacram ſcientiam in Abbatia Radenſi item Vlierbecana, unde à *Vianæo* ad collegium pontificium evocatus

cæ-

cæpit coram domeſticis & aliunde accurrentibus theologis exponere *Primam partem* S. Thomæ cum incredibili penè eloquentia & unctione, conficiens eodem tempore theſes Sabbathinas, quibus in ſchola publica *Vianæus* jam ſenex præſidebat & juvans eximium Huygenium in componendis theſibus in Geneſim &c. Aſt dum virum hunc eminentem ad S. T. Doctoratum ſuis ſumptibus parat evehere *Vianæus*, ex nimio ſtudio cum grandi vitæ auſteritate conjuncto incidit in hæmoptyſin, & ex frequenti ſanguinis vomitu redditur ineptus ad omnem laborem theologicum. Itaquæ aëris mutandi gratiâ ducitur Bruxellas, ubi eum in domum ſuam cum ingenti charitate ſuſcepit ampliſſimus ſenator Joannes Libertus Vaeſius; & ipſa nobilis matrona ſenatoris uxor ægroto non ſolùm per domeſticos ſuos, ſed per ſe toto morbi tempore plerumque inſerviit, ſemper ſolicita, ut nihil ſancto ægro deeſſet: at placuit Altiſſimo virum, quo dignus non erat mundus, ad meliorem vitam educere. Teſtamentum aliud Dei ſervus non fecit, niſi quòd moriens munifico hoſpiti ſuo legaverit ſua Biblia Sacra cum hoc monitu *Sap.* 1. *vs.* 1. *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.*

Mortis Dies.	annus	
5.	1705.	Godefridus Kool *Amſtelodamenſis* in urbe patria Paſtor. Edidit ſcriptiunculas varias in cauſa fidei, & Walenburgiorum quædam opuſcula controverſiarum in linguam Flandricam tranſtulit.
6.	1649.	Nicolaus Vernulæus *Luxemburgenſis* Lovanii Hiſtoriographus Regius nec non Ethices & Eloquentiæ Profeſſor S. T. L. ſcripſit plurima, inter quæ numerantur *Academia Lovanienſis. Inſtitutionum libri IV. Fama poſthuma Caroli Longovallii Comitis Bucquoy*, &c.
7.	1630.	Martinus Modæus *Ultrajectinus* vir vitæ probatæ & doctrinæ non vulgaris propriè primus poſt mutatum Regimen Politicum Paſtor Roterodamenſis, qui ab anno 1616. uſque 1630. fideliſſimè invigilavit ovibus ſuæ curæ commiſſis.
	1733.	Lambertus de Kinder *Hogardienſis* per annos triginta zeloſus vice-Paſtor in Bierbeek prope Lovanium, qui cum multis aliis anno 1729. ob controverſias temporis, id eſt evitandam ſignaturam Formularii juxta Bullam VINEAM DOMINI, & acceptationem Conſtitutionis UNIGENITUS, abſceſſit è Brabantia, & obiit Capellanus Paſtoris Romano-catholici in oppido Dordraceno.

Digitized by Google

8. 1668. Jacobus Pontanus *Hermalienſis* celeberrimus Academiæ Lovanienſis Doctor Theologus, Apoſtolicus & Regius librorum Cenſor, qui inter anguſtias & ſpinoſas illius temporis circumſtantias indivulsè equidem inhæſit principiis ſuæ Scholæ, hoc eſt Beati Auguſtini. Unde & 15. Martii 1647. cum ingenti elogio approbavit *Conſiderationem Rhitmicam Petri Cobbardi* Religioſi Præmonſtratenſis Abbatiæ Ninovienſis in Flandria, ſuſtinens eam eſſe fidele compendium doctrinæ divi Auguſtini de Gratia, *ac proinde dogmata eâ Conſideratione contenta improbari non poſſe, quin ſimul ſancti Auguſtini doctrina improbetur*, quæ res tantoperè exaſperavit ſectatores Molinæ, ut curarint 10. Junii ejuſdem anni citra formam juris per Archiducem Leopoldum Belgii Gubernatorem auferri Pontano munus Cenſoris Apoſtolici & Regii.

1693. Juſtus Modershon Paſtor Amſtelodamenſis & Canonicus Capituli Harlemenſis, vir ſummi ingenii & in omni penè ſcientia, ſignanter autem in Theologia & Matheſi verſatus, cujus *Commentarius litteralis & moralis in ſeptem Pſalmos Pænitentiales* apud doctos in pretio eſt.

1728. Antonius Pierrot Abbatiæ Aureæ-

vallis Religioſus, qui anno 1725. cum pluribus aliis ad evadendam Formularii & Conſtitutionis UNIGENITUS ſignaturam è Patria egreſſus inter confratrum ſuorum preces obiit in colonia iſtorum Monachorum dictâ *Rhynwicâ*.

9. 1631. Sybrandus Sixtius *Ooſtervirius* Eccleſiæ Harlemenſis Præpoſitus & Archidiaconus, Paſtor Amſtelodamenſis & trium Epiſcopatuum *Harlemenſis*, *Leovardienſis* & *Groeningenſis* per plures annos Vicarius Generalis, vir ſanctitate clarus, & labore indefeſſus, qui aliquando in Friſia pluribus noctibus continuis, dum minor erat ſacerdotibus libertas, concionibus cæteriſque miniſterii ſui functionibus operam impendit.

10. 1709. Joannes Baptiſta Weyn *Waſiæ-Beverus* ex pientiſſimo Theologo Lovanienſi & laborioſiſſimo Vice-paſtore Heusdenſi zeloſus Paſtor Xenodochii Antverpienſis. Inter plurima hujus Viri elogia unum eſt, quòd grandi odio in peccata præſertim carnis, accenſus implacabile bellum indixerit infami illâ labe quoquo modo infectis utriuſque ſexûs perſonis, cujuſcumque eſſent conditionis vel ſtatûs. Et mirificè benedixit zelo illius Altiſſimus, cujus rei hactenùs extant veſtigia & oculati teſtes complures.

Hen-

Digitized by Google

11. 1643. Henricus Lancelottus *Mechlinienſis* Auguſtinianus Lovanii Doctor Theologus. Præfuit ſuis in Flandria, Brabantia & in ipſa Germania. Scripſit librum *De illegitima miſſione Lutheranorum, Calviniſtarum,* &c. & alium cum titulo: *Capiſtrum Hunnium*, qui eſt Apologeticus præcedentis. Item *Hæreticum* QUARE *per Romano-catholicum* QUIA *ſolutum.* Scripſit & *Anatomiam Chriſtiani deformati*, ſeu *Exegeſim Theologicam, Catholicam & Moralem Epiſtolæ Canonicæ D. Judæ Apoſtoli*, & alia nonnulla.

12. 1611. Joannes Miræus *Bruxellenſis* vir pius & doctus. Satis juvenis ex Academia Lovanienſi tranſiit Duacum, ubi, obtentâ S. Theologiæ laureâ, Græcas litteras docuit. Inde revocatus creatur Bruxellæ Paſtor ad S. Jacobum & Canonicus ad S. Gudulam, evehiturque tandem ad Cathedram Antverpienſem. Ante Epiſcopatum publico mandato Archi-Antiſtitis Mechlinienſis diligenter inveſtigaverat quæ ſpargebantur de miraculis à Deo patratis ad imaginem B. M. V. in Monte Acuto juxta Sichemium, quo facto conſcripſit librum, cui titulus *Beneficia atque Miracula B. Virginis in Aſpricolle*, ex quo hauſit Juſtus Lipſius, quæ de B. Virgine Aſpricollenſi publi-

ca-

Digitized by Google

cavit, ut ipſe ingenuè fatetur. Conſecratus Epiſcopus paucis illis annis, quibus præfuit, fundavit Seminarium, Synodum celebravit & Statuta Synodalia promulgavit cum inſigni oratione ad Clerum, in qua præcedentium annorum calamitas graphicè ob oculos ponitur, factis inſuper fundationibus (quas *Burſas* vocant) in Academia Duacena.

1632. Franciſcus Haræus *Ultrajectinus* S. T. L. Canonicus ad S. Jacobum Lovanii ſcriptis conſpicuus, inter quæ ſunt *Biblia Sacra expoſitionibus priſcorum Patrum illuſtrata. Ducum Brabantiæ Hiſtoria. Olympiades & Faſti uſque ad Chriſtum paſſum. Diſcurſus de initiis Belli Belgici. Vitæ Sanctorum* & alia plura.

13. 1609. Joannes Bochius *Bruxellenſis* Senatui Antverpiano à ſecretis excellens Poëta & in notitia rerum Belgicarum apprimè verſatus. Præter Poëmata & *Perodiam Heroïcam Pſalmorum Davidicorum* extant ab ipſo ſequentia: *Vita Davidis. Obſervationes Phyſicæ, Ethicæ, Politicæ & Hiſtoricæ. De Belgii principatu à Romano Imperio ad hæc tempora brevis narratio. Panegyricus Alexandro Parmæ Principi dictus*, & alia multa.

1611. Jacobus Middendorpius *Oldenſalienſis*

ſis in Academia Colonienſi J. U. Doctor & S. T. L., reſtituit & commentariis illuſtravit *Hiſtoriam Ariſteæ de Scripturæ Sacræ per 70. Interpretes tranſlatione, ex M. M. Græcis Latinisque Codicibus*, item ſcripſit: *De Academiis Orbis univerſi. De Officiis Scholaſticis. De Vita Cænobiali ejusque origine, progreſſu & natura*, & alia plura.

15. 1681 Gerardus van Werm *Moſætrajectinus* S. T. Doctor Lovanii vir doctiſſimus & variarum linguarum etiam Græcæ & Hebraïcæ peritiſſimus. Edidit plura ſcripta invictè demonſtrantia puritatem ſuæ doctrinæ apud Archiducem Leopoldum per Molinæ Diſcipulos ſugillatæ, qui perrexerunt nihilominùs ei adverſari, quòd in publicis Theſibus graviori notâ perſtrinxiſſet doctrinam de gratia moliniſticè ſufficienti.

1719. Andreas van der Schuur *Gorcomienſis* primùm Epiſcopo Caſtorienſi à ſecretis, dein Paſtor Vianenſis, ac tandem Capituli Ultrajectini Romano-catholici Canonicus multis ſcriptis cum inſigni elegantia tam latinè quàm vernaculè partim ad fovendam fidelium pietatem, partim ad veritatis atque Eccleſiæ defenſionem publicatis clarus, & dilucidâ illâ S. S. Bibliorum in idioma Hollandicum tranſlatione

 (quam

Dies.	*annus*	
		(quam tamen morte præventus non omninò abſolvit) anno 1731. Ultrajecti editorum illuſtris ac celebris.
16.	1665.	Joannes Heys *Gertrudibergenſis* Oratorii D. J. Presbyter, excellens Poëta latinus. Poëtices ipſius extant paucula ſaltem monumenta in ſacra æde Duffliæa & alibi.
17.	1697.	Ægidius Gabriëlis inſigniſſimus Theologus Lovanienſis, qui ſpe reſtaurandi diſciplinam monaſticam ingreſſus Ordinem Beggardorum ibidem factus S. T. Lector, Prior & tandem Provincialis invexit ſtudium & diſciplinam, quantùm potuit. Scripſit nonnulla, inter quæ eſt liber, cui titulus: *Specimina moralis Chriſtianæ & moralis Diabolicæ.*
	1722.	Petrus van Limborch *Lovanienſis* collegiatæ eccleſiæ in urbe patria capellanus & S. S. rituum præfectus. Obſervata fuit in hoc viro à primis annis ſincera pietas, unde theologicis ſtudiis in collegio Atrebatenſi operam navans, à præſide Paſmanno cæteris theologis proponebatur ut eccleſiaſticæ virtutis exemplar. Sacerdos ex obedientia factus numquàm tamen induci potuit ad curam animarum ſuſcipiendam. In officiis chori ſic erat præſens, ut in angelorum contubernio laudes divinas eructare videretur.

Inter

Inter acutiſſimos calculi dolores delectabiliter mortuus eſt.

17. 1729. Joannes Baptiſta Verhocht pius ac præclarus mercator *Mechlinienſis*: à teneris horruit perverſorum conſortia, mirè ſemper delectatus lectione S. S. Scripturarum, ſignanter Novi Teſtamenti, quem librum omni tempore habebat ſecum, in ipſo etiam lecto mortis, volens quoque cum eo tumulari. In controverſiis hujus temporis erat apprimè verſatus, à Conſtitutione UNIGENITUS adeò aliënus, ut maluerit conſuetis ultimorum Sacramentorum adminiculis privari, quàm illam acceptare. Exultabat præ gaudio, appropinquante ultimâ horâ. Mortuo ægrè obtenta eſt ſepultura eccleſiaſtica.

1730. Cæcilia Paradanus virgo *Thurnoltana* germana ſoror Petri Abbatis Vlierbacenſis, de quo ad 18. Septembris. Hæc Bruxellis in refugio Vlierbaceno cum altera ſorore modeſtiſſimè degens, tamquàm virgo ſapiens, & jam utcumque annoſa à pluribus annis fuerat per Proviſores illuſtris fundationis vulgò *den armen ziekendienſt* electa, ut in Paræcia Finiſterrana pauperibus ſtabili infirmitate detentis dignaretur invigilare & juxta tenorem fundationis aſſiſtere, quod charitatis obſequium cum

tanta exactitudine eſt proſecuta, ut totius populi encomio celebraretur. Defuncto fratre Abbate tetendit in patriam ſuam, ubi Sacrarum Litterarum meditationi vacans, tandem ex morbo finem ſuum adeſſe conſpexit, quapropter ultimorum ſacramentorum ſolatio refici à Parocho ſuo humiliter petiit, verùm id obtinere non valuit, quòd defenſionem fratris ſui per admiſſionem Bullæ UNIGENITUS detrectaret deſerere, quin & ſepultura eccleſiaſtica defunctæ Thurnolti eſt denegata, quam tamen alibi, ſed cum labore & occultè eſt conſecuta.

18. 1733. Henricus Roos *Rotterodamus* ex patricia familia Juriſconſultus, cognatus celeberrimorum Antiſtitum Petri & Adriani de Walenburg indivulsè adhærens Capitulo Ultrajectino *Romano-Catholico*, quæ clauſula in hoc opuſculo ſemper debet ſubintelligi, quoties de Capitulo Ultrajectino fit mentio, ut diſtinguatur à cætu canonicorum ſeu Capitulo Ultrajectino Acatholico.

19. 1711. Joannes Baptiſta Riſpens *Friſo-Doccumenſis* Oratorii D. J. Presbyter inſignis Paſtor Groeninganus Illuſtriſſimo Archipræſuli Coddæo uſque ad finem amiciſſimus & litterarum commerciô familiaris, licet à Nuntio Apoſto-

Digitized by Google

poſtolico, cùm à Capitulo Ultrajectino fruſtra hactenus petiiſſet, totus fractus & ad miniſterium plerùmque ineptus acceperit adjutorem.

21. 1609. Balduinus van der Piet *Gandenſis*, qui primus aut certè inter primos in nova Academia Duacena Juris titulum (Baccalaureos vocant) conſecutus, poſtmodùm Primarius ibidem Juris Civilis Anteceſſor creatus magnam famam adeptus eſt. Unde tertiùm ad Togam ſenatoris in Parlamento Mechlinienſi nominatus mirâ modeſtiâ dignitatem ſemper declinavit. Scripſit *De emptione & venditione*, item *de Pignoribus & Hypothecis*, tractatum inſuper *elegantiorum Juris quæſtionum*, *reſponſa juris*, & alia.

1719. Joannes Knotter *Hagæ-comitanus* zeloſus, doctus & facundus Paſtor Enchuſanus ad altiora deſtinatus, niſi mors præmaturè virum abſtuliſſet. Scripſit nonnullos tractatus ſermone vernaculo pro defenſione ſui & aliorum ipſi junctorum & ſignanter unum ſuper *Inobedientia*, quam ei quidam adverſarii affricabant propter intimam ejus unionem cum Capitulo Ultrajectino & oppoſitionem adverſùs Conſtitutionem UNIGENITUS, Moliniſtarum artibus, ut aſſerebat, ſub & obreptitiè extortam.

Digitized by Google

Dies.	*annus*	
22.	1684.	Judocus van der Linden *Bruxellenſis* Oratorii D. J. per Provinciam Archi-epiſcopatûs Mechlinienſis Præpoſitus, S. T. L. Archi-presbyter Bruxellenſis & Canonicus eccleſiæ Metropolitanæ S. Rumoldi, horrendis improborum calumniis & technis agitatus, è quibus omnibus glorioſè eripuit eum Dominus. Rogatus ab Archipræſule Jacobo Boonen ſcripſit inſignem librum de Chriſto Patiente, qui etiam extat gallicè ſub titulo: *l'Homme de douleurs.* Sed de hoc viro plura pandet CHRONICON ORATORII BELGICI, quod diu adornatum confidimus propediem luce publicâ donandum.
23.	1601.	Gerardus Brunæus *ordinis Præmonſtratenſis Canonicus* in Tongerloa & Paræcus Rhetenſis in Campinia, excellens Mathematicus. Quidquid ſupererat temporis, id totum aut inſtrumentis conficiendis aut Mathematicis ſpeculationibus conſcribendis dicabat. Extant ab ipſo inter alia plurima *Tractatus de ortu & occaſu. De meditatione cæli ſyderum. Calendarium Hiſtoricum & Poëticum*, & *Tabula feſtorum mobilium ab anno* 1582. *uſque ad annum* 2201.
	1629.	Andreas Schottus *Antverpianus* vir græcè apprimè doctus. Poſt abſolutum

tum ſtudiorum curriculum, poſt luſtratas varias terras & poſt nonnullos libros editos ingreſſus eſt Societatem Jeſu. Inter plurimas ejus lucubrationes numerantur *Bibliothecæ Photianæ verſio cum notis. S. Baſilii Magni* O*perum recenſio, additis epiſtolis & notis. Libri duo de bono ſilentii Religioſorum & ſecularium. Laudatio funebris Antonii Auguſtini Archi-epiſcopi Tarraconenſis*, cui per biennium Schottus ante ingreſſum in Societatem cohabitaverat, &c.

23. 1705. Andreas van der Elſt zeloſus & pacificus Director ſeu Confeſſor, ut vocant, Abbatiæ Cortenbergenſis.

24. 1624. Martinus Becanus Brabantus *ex Hilvarenbeek* Societatis Jeſu ſacerdos Cæſari Ferdinando II. à confeſſionibus. Scripſit *Analogiam veteris ac novi Teſtamenti* item *Theologiam Scholaſticam* & varios tractatus ſuper controverſiis contra hæreticos.

25. 1737. Jacobus Rivette Canonicus *Duacenſis*. Expleto laudabiliter in Academia Lovanienſi S. Theologiæ curſu, dein etiam ſacræ ſcientiæ aliquod tempus impendit Duaci, ubi in collegiata eccleſia S. Amathi adeptus canonicatum diligentiâ in frequentandis chori officiis, exemplari pietate, & inſigni morum honeſtate cunctis fuit ædificationi.

Dies.	*annus*	
		ni. Propter oppoſitionem adverſùs Bullam UNIGENITUS ab anno 1723. paſſus eſt excluſionem ab introitu Capituli & chori, aſſiſtens interim ſedulò omnibus officiis uſque ad extremum morbum in veſte talari. Morienti denegata ſunt extrema ſacramenta, & mortuo recuſata eſt eccleſiaſtica ſepultura. Quæ omnia per defuncti neptem Parlamento Pariſienſi juridicè propoſita hactenus manent ſine plenaria deciſione.
26.	1725.	Carolus de Meur civis & propola *Mechlinienſis*, in quo inter cætera laude digna id notatum eſt his temporibus rarum, quòd diebus dominicis & feſtivis numquam aliquid vel emeret vel venderet, ſed foribus obſeratis totum tempus cum familia ſua parochialis eccleſiæ officiis ſacris, Scripturarum meditationi & aliis piis exercitiis conſecraret. Ad hunc graviſſimè ægrotantem tulit S. S. Viaticum Vice-paſtor S. Rumoldi; at interroganti, *an approbaret omnia, quæ Superiores ſui in præſentibus Eccleſiæ commotionibus præſtiterant* (urgebatur autem eo tempore vehementer ſignatura Formularii juxta Bullam VINEAM DOMINI, & acceptatio Conſtitutionis UNIGENITUS) reſpondit æger, petere ſe viaticum, non eſſe ſuum ſuper controverſiis

ſiis illis ferre judicium, credere ſe, quidquid credit eccleſia, in hac fide & jugiter ſe vixiſſe & velle mori: qua in reſponſione cum perſiſteret, ſumptâ S. Hierothecâ Vice-paſtor, nec viatico dato, nec benedictione ex more impertitâ, regreſſus eſt ad eccleſiam: æger verò tranquillô animô ferens Vice-paſtoris proceſſum eâdem die ſignavit libellum ſupplicem, quo tota res Cæſari exhibita eſt in ſuo Concilio Statûs, ubi denegatio illa viatici graviſſimè improbata eſt: verùm antequàm reſcriptum Cæſareum eſſet allatum, inciderat æger in mentis impotentiam, in qua & mortuus eſt.

27. 1720 Joannes l'Armoyeur diligens Paſtor in Arent ſeu Haren prope Bruxellas, unus ex Parochis in Supremo Senatu Brabantino ſupplicantibus pro impedienda exactione Conſtitutionis UNIGENITUS, qui inſuper quatriduo ante mortem coram tribus teſtibus ſignavit fuſum inſtrumentum appellationis ab eadem Conſtitutione UNIGENITUS.

28. 1617. Jacobus Saſſius Præpoſitus & Archidiaconus *Capituli Harlemenſis*, qui & pro juribus Capituli fortiter ſtetit, & pro fide Catholica direptiones bonorum, verbera, carceres & varios labores atque exilium patienter ſuſtinuit.

Digitized by Google

28. 1710. Philippus Verheyen *Waſianus ex Verrebroeck*, abſoluto Philoſophiæ curſu, in quo primum primæ lineæ locum obtinuit, medicinæ ſe dedit, in quâ Doctoris titulum aſſecutus evaſit totius Europæ Anatomiæ Profeſſor celeberrimus: hoc teſtatur aureum ejus opus: *Corporis humani Anatomia*, quod in omni lingua & in omnibus Regnis evulgatur. Extant & aliæ ejus lucubrationes medicæ V. G. *Tractatus de febribus. Compendium Theoretico-practicum. Tractatus de valetudine tuenda*, &c. Et dum orbi litterario præparat ſecundam multùmque auctam Anatomiæ ſuæ editionem, necnon alium librum, quem *Supplementum Anatomicum* inſcripſit, operoſis ſtudiis ac meditationibus immoritur. Cæterùm vir fuit in Deum eximiè pius, & pro divino cultu ſic ſolicitus, ut diebus dominicis & feſtis ſolemnioribus numquàm ab officiis eccleſiæ ſuæ parochialis abfuerit: à divitiis autem & mundano faſtu (cum abundare & fulgêre potuiſſet, ſi voluiſſet, acceptando ſcilicet divitem penſionem, per quam allicere ad ſe virum clariſſimum nitebatur Academia tam Oxfordica quàm Lugduno-Batava) tantoperè aliënus, ut pro omni teſtamento non reliquerit aliud quàm

quàm hæc verba propriâ ejus manu exarata : *Philippus Verheyen Medicinæ Doctor ac Profeſſor partem ſui materialem hìc in cæmiterio condi voluit, ne templum dehoneſtaret, aut nocivis halitibus inficeret. Requieſcat in Pace*, quæ hactenùs leguntur inſculpta lapidi ſepulchrali in cæmiterio S. Michaëlis Lovanii.

28. 1737. Joannes Jacobus Hoffreumont frater Servatii, de quo ad 2. Maii, Prior Religioſorum Aureæ vallis ob Conſtitutionem UNIGENITUS profugorum & reſidentium in Rhynwyck haud procul ab Amisfurto, qui quondam in ipſa Abbatia Aureæ Vallis Prioratum laudatiſſimè geſſit.

29. 1601. Nicolaus Neelſius *Brabantus* ex Campenhout Dominicanus S. T. Doctor in nova Academia Duacena. Scripſit eruditos Commentarios *in Cantica Canticorum*, item *in Apocalipſim*.

30. 1632. Joannes Benninck *Amisfortius* J. U. Doctor in Academia Lovanienſi ob ſingularia merita mox factus Conſiliarius & Procurator Generalis in Parlamento Mechlinienſi ac deinde per triginta annos Præſes Concilii Luxemburgenſis.

31. 1652. Nobilis Virgo Levina Sanders *Thamiſiis* nata anno 1625. à teneris omni

mundano faſtui inimica, tandem à parentibus extorquet conſenſum induendi habitum, qualem geſtant filiæ *Devotæ.* Intelligens deinde ſe vocari à Deo ad novam Reformationem *Pænitentium Recollectinarum*, emittit apud ipſas Gandavi Profeſſionem Religioſam, eminet in omni genere virtutum, honoratur à Deo viſionibus, extaſibus ac dono Prophetiæ, & prædicto obitûs ſui die ſanctiſſimè moritur: poſt mortem autem fulget miraculis. Scripſit quædam myſtica, inter quæ numerantur XIV. ejus Epiſtolæ ad diverſos. Vitam illius gallicè ſcripſit R. P. Ægidius Laoureux Minorita, flandricè autem R. P. Franciſcus Cauve ejuſdem inſtituti.

31. 1705. Petrus Oppenbrouwer *Lovanienſis* J. U. Licentiatus Canonicus ad S. Petrum & in Academia Grudia S. S. Canonum Profeſſor, vir pius, doctus & induſtrius. Orphanis ac viduis toto vitæ tempore, velut alter Ivo, magnâ charitate ſubvenit. Triſtiſſimas diſſidentium animorum in Academia procellas vidit & deflevit, neutri parti favens, ſed curas omnes, ſignanter dum electus erat Rector Magnificus, eò intendens, ut tamquàm angelus pacis componeret diſſidia, & ad concordiam invitaret cunctos. Identidem

 viro

viro optimo obverſabatur ob oculos hora noviſſima. Unde iis inſtrumentis, quibus frequentiſſimè uti debebat, inſculptæ erant hæ Scripturæ voces: *Memorare noviſſima tua. Neſcitis diem neque horam.*

FEBRUARIO.

1. | 1653 | HEnricus Calenus S. T. L. Canonicus Eccleſiæ metropolitanæ *Mechliniensis* & Archi-presbyter Bruxellenſis vir doctus & integerrimus, nominatus à Rege Catholico ad cathedram Ruremundenſem, qui videns potentiam adverſariorum ſuorum renuntiavit tandem omni juri, quod per nominationem illam acquiſierat.

3. | 1650. | Suitbertus Purmerent *Hagæcomitanus* S. T. L. Paſtor Delphis ad S. Hypolitum, Archi-presbyter Delflandiæ & Aſſeſſor ſeu Canonicus Capituli Ultrajectini, vir doctus & laborioſus, qui etiam rapinam bonorum ſuorum tumultuoſis temporibus cum gaudio ſuſtinuit.

5. | 1613. | Joannes Baptiſta à Glano *Leodienſis* ex ordine S. Auguſtini S. T. Doctor vir modeſtiſſimus & doctiſſimus Auguſtinianorum in Belgio ſecundùm Provincialis. Scripſit inter cætera

Hiſtoriam Pontificum Romanorum. 2. *Æconomiam Chriſtianam.* 3. *Europam* ſeu *de Primariarum Europæ Provinciarum Ritibus, Cæremoniis, veſtibus.* &c. 4. *de Officio Puellarum libros duos*, quorum prior informat eas, quæ nuptiis, poſterior eas, quæ virginitati perpetuæ deſtinantur.

5. 1658. Maria Margareta ab Angelis (in ſeculo Maria Valkeniſſe 26. Maji 1605. Antverpiæ nata) Fundatrix & prima Mater Carmelitiſſarum Thereſianarum in *Oirſchot* ſanctitate conſpicua & poſt mortem prodigiis clara. Vide vitam ejus anno 1661. Ludovico XIV. Francorum Regi per Joannem Joſephum de Loyac conſiliarium & eleëmoſinarium regium oblatam & dicatam. Carmelitiſſæ iſtæ hodie reſident in *Willebroucq* duabus leucis à Mechlinia.

1679. Judocus Vondel propter excellentiam in Poëſi vernacula dictus DE NÉDERDUITSCHE VIRGILIUS, è ſecta Mennonis operâ Leonardi Marii ad fidem Orthodoxam converſus. Opera ejus Poëtica cum vita aucthoris edita ſunt ſedecim tomis in quarto & cum aviditate leguntur. Excellit inter illa (atteſtantibus id ipſis Reformatæ Religionis cultoribus) opus de S. S. Sacramento Altaris (ALTAERS GE-

HEI-

Digitized by Google

HEIMENISSEN) quod Archi-præſuli Mechlinienſi dicavit.

7. 1695. Arnoldus van Geſtel *Ultrajectinus* Paſtor in civitate Dordracena gnavus concionator & maximè induſtrius catechiſta.

1715. Lambertus Baerts *Thenenſis* S. T. L. ex paſtore & canonico S. Jacobi apud Grudios, eximiorum virorum conſilio & Archi-præſulis ſui juſſu Plebanus S. Rumoldi Mechliniæ, ubi per annos fere triginta populum ſibi commisſum doctiſſimis & facundiſſimis concionibus pavit & cum zelo verè paſtorali gubernavit. Cùm jam inciperet robur corporis præ longo labore imminui, ſed integer adhuc eſſet vigor animi, abſentem & invitum in ſuum numerum ādlegit canonicorum graduatorum Gandavenſium collegium, ut qui præ cæteris judicii æquitate, conſilii maturitate & prudentiæ ſagacitate Eccleſiæ illi cathedrali posſet prodeſſe: ſed dignitatem oblatam collatamque recuſavit conſtanter: & dum vires ſenſit deficere, onere plebanatûs in alium tranſlato, ad patrium ſolum ſe recepit, ubi, abjectâ omnium temporalium curâ, per menſes novem ſola æterna meditatus piè obdormivit in Domino. Publicavit ſermone vernaculo Inſtructiones Catechiſticas magni æſtimatas. Jo-

Dies.	*annus*	
8.	1681.	Joannes Stalenus S. T. L. ex Canonico & Paſtore Reſenſi Oratorii D. J. Presbyter Latinè, Græcè & Hebraïcè inſigniter doctus & intimè unitus Illuſtriſſimis Petro & Adriano à Walenburg. Varia ſcripſit, quæ videri poterunt in CHRONICO ORATORII BELGICI, ſeu Oratorii D. J. per Provinciam Archi-epiſcopatûs Mechlinienſis.
	1711.	Joannes Swerinck *Soeterwoudanus* doctus & moribus excultus Paſtor civitatis Hornanæ, qui in flore ætatis obiit magno omnium proborum dolore.
9.	1671.	Ludolphus ab Heumen *Ultrajectinus* S. T. L. Prothonotarius Apoſtolicus, ex Paſtore Daventrienſi conſtitutus Paſtor Dordracenus, tractûs illius Archi-presbyter, Capituli Ultrajectini Archidiaconus & Epiſcopi Caſtorienſis conſiliarius intimus.
12.	1601.	Petrus Bacherius *Gandenſis* S. T. Doctor Lovanii ex ordine S. Dominici fuit præco facundiſſimus & vehementiſſimus contra graſſantes hæreſes. Scripſit idiomate vernaculo non pauca: latinè verò inter alia multa extant ab eo ſequentià 1. *in Miſoliturgos ſeu Miſſæ oſores libri duo.* 2. *Apologeticus pro defunctis* 3. *Speculum militiæ Chriſtianæ* 4. *Jurgiun conjugale.* 5. *Spongia*

gia

gia in ebrioſos 6. *Homiliæ & Commentarii in epiſtolas quadrageſimales*. 7. *Homiliæ in Evangelia dominicalia totius anni.* &c.

13. 1663. Petrus Purmurent *Hagæcomitanus* S. T. L. Suitberti Purmurent germanus & gemellus frater per annos quadraginta novem præclarus Paſtor in oppido Gaudano.

1733. Seraphina Servranx inſignis Abbatiſſa de Cortenberg diſciplinæ monaſticæ obſervantiſſima & ſanioris doctrinæ ſectatoribus uſque ad extremum halitum indivulsè addicta.

1739. Henricus Lamberti *Moſæ-trajectinus* ſecundus abbas Duſſelthalienſis. Venerat circa initium hujus ſeculi ex Aurea Valle cum ſociis pauculis ad novam illam coloniam, quam ab initio mirè ædificavit ſanctitate vitæ, & diu rexit ut Prior. Præfuit ut Abbas annis quinque, mortuus ætatis ſuæ anno 73. Merentur in eo notari ſequentia. 1. Etſi juxta reformationem ab annis circiter 76. in Aurea Valle cæptam, ſtatis diebus concedatur eſus piſcium: vir tamen hic toto monachatûs ſui tempore uſque ad obitum numquam guſtavit piſces. 2. Numquam bibit vinum. 3. Numquam manducavit extra commune refectorium, niſi ſemel invitus ipſo die, quo inſti-

tutus eſt Abbas. 4. Numquam dormivit extra commune dormitorium, & inter fratres humiliter tumulari voluit in communi cæmiterio. 5. Semper abſtinuit ab inſigniis abbatialibus, nullâ notâ volens diſtingui à cæteris, unde & ab extraneis paſſim reſpiciebatur ut ſimplex monachus. 6. Videns finem ſuum inſtare, voluit maturè muniri ultimis ſacramentis, quando fratres congregatos conſuetâ unctione tenerrimè animavit ad charitatem, unitatem, & regularem obſervantiam, deinde ſentiens vires ſibi omninò deficere, ſuper crucem ſe collocans in cinere ac ſtramine poſitam, placidiſſimè obdormivit.

14. 1719. Hugo Fraciſcus van Heuſſen *Hagæcomitanus* Oratorii D. J. Presbyter, S. T. L. Decanus & Vicarius generalis Capituli Ultrajectini. Scripſit varia, inter quæ eminent *Batavia ſacra. Notitia Epiſcopatuum fœderati Belgii*, & tractatus flandricus dilucidè complectens omnes controverſias fidei contra cujuſvis ſectæ proteſtantes, & nominatim contra Apoſtatam Michaëlem Loeffium cum titulo *Hand-en Huis-boek der Katholijken*, qui liber iterum, & tertiùm auctus ſub diverſis nominibus prælo commiſſus eſt & avidè legitur.

An-

14. 1721. Anna Maria Voeller nobilis & eximiæ pietatis virgo *Bruxellenſis* omnibus Viris doctis, qui Bruxellis aliquando verſati ſunt, amica. Callebat perfectè linguam latinam, & tenebat memoriter totum Pſalterium Davidicum &c. Cumque in extremo vitæ tota ſurda & grandi ſenio exhauſta rogaretur per ſigna, quibus ſe intertineret, reſpondit: *Je vis de mon magaſin.*

15. 1626. Antonius Sucquet *Mechlinienſis* Societatis Jeſu presbyter. Edidit præclarum librum, cui titulus *Via Vitæ æternæ*, elegantiſſimis iconibus Antverpiæ illuſtratum.

1733. Joannes Chyſoſtomus Mintart *Lovanienſis* primus, iſque præclariſſimus Abbas Duſſelthaliæ, quæ eſt filia Aureæ Vallis initio hujus ſeculi fundata.

16. 1627. Henricus Zoeſius *Amersfortius* J. U. Doctor Lovanii linguæ græcæ & juris civilis Profeſſor Regius, vir ſtudii indefeſſi, judicii ſubacti & in docendo aſſiduus. Scripſit commentarios *in Digeſta*, item *in Jus Canonicum* item *de Jure Feudorum*, & alia Plura.

1630. Bartholomæus Petri *Brabantus ex Linter* S. T. Doctor Duaci eccleſiaſticæ antiquitatis peritiſſimus, ſed abhorrens à pruritu ſcripturiendi. Edidit interim ad amicorum preces nonnulla, inter quæ eſt libellus *Vincentii*

Digitized by Google

Lerinenſis contra hæreſes, additis notis & diſſertatione circa ipſum Vincentium. Item *Commentarius in acta Apoſtolorum*. In gratam quoque memoriam ſummi viri Guilielmi Eſtii adornavit opera ejus poſthuma, ſuppletis iis, quæ deërant in epiſtolas canonicas ſancti Joannis.

16. 1732. Franciſcus Emmery *Oſtendanus* Oratorii D. J. presbyter, domûs Bruxellenſis per ſex annos Superior, fidelis uſque ad finem pro libertate ſuæ Congregationis, cujus annò 1719. electus fuit ſecretarius.

18. 1710. Ægidius Heemans *Waſianus* pientiſſimus & zeloſiſſimus Vice-Paſtor S. Quintini Lovanii, qui & nonnullos tractatus pios & aſceticos linguâ vernaculâ publicavit, inter quos eſt *Inſtructio pro ægrotis*. Item *Conſideratio in Canticum ſeu Orationem Habacuc*.

19. 1619. Franciſcus Lucas *Brugenſis* S. T. Licentiatus Lovanii eccleſiæ Audomaropolitanæ Decanus, vir maximus & Linguarum Hebraïcæ, Græcæ, Syriacæ & Caldaïcæ peritiſſimus, ideoque Regiorum Bibliorum editioni cum Benedicto Aria Montano & aliis præfectus. Excellunt inter ejus opera *Commentarii in quatuor Evangelia. Notationes in Biblia Sacra. Notarum ad varias lectiones in Evangeliis* libri duo.

Digitized by Google

duo. De *uſu Chaldaïcæ Bibliorum Paraphraſeos*, tomus in folio. *Concordantiæ Bibliorum. Itinerarium Chriſti ex* IV. *Evangeliis Conciones. Oratio in funere Jacobi Pamelii deſignati Epiſcopi Audomaropolitani.*

20. 1630. Joannes Paludanus *Mechlinienſis* S. T. Doctor ac Profeſſor Regius Lovanii necnon ad S. Petrum per totos viginti annos Plebanus & facundiſſimus eccleſiaſtes. Scripſit *Vindicias Theologicas adverſus Verbi Dei corruptelas juxta Biblicorum Librorum ordinem.* Item *Apologeticum Marianum, & Officinam ſacram.*

1717. Petrus Cuykius *Goudanus* Paradiſi in civitate Rotterodamenſi Paſtor, Capituli Ultrajectini canonicus & Schielandiæ Archi-presbyter, vir acuti ingenii, maturi judicii, ſingularis eruditionis & ſolidæ pietatis.

1722. Jacobus de Maeyre inſignis Decanus eccleſiæ collegiatæ S. S. Michaëlis & Gudulæ in urbe Bruxellenſi, olim Archi-præſuli Mechlinienſi Illuſtriſſimo Alphonſo à ſecretis, omnium bonorum virorum uſque ad obitum ſincerus amicus.

21. 1692. Petrus Noels *Campinienſis* humanioris litteraturæ exercitiis feliciter abſolutis & in Palæſtra Philoſophica Lovanii ſecundum ſecundæ lineæ locum ad-

adeptus complures annos theologicis ſtudiis cum magna diligentia & pietate conſecravit. Poſitis ſacræ ſcientiæ fundamentis, tempus quod plerique refocillandi animi cauſâ poſt labores ambulationi inſumunt, ipſe in noſocomio decumbentes viſitando, eos Chriſtianâ doctrinâ imbuendo, piis exhortationibus ſublevando & ad ſalutarem exitum diſponendo totum impendebat. Inde, datis aliquot zeli paſtoralis ſpeciminibus in Herenthout, per Illuſtriſſimum Archi-epiſcopum Alphonſum conſtituitur Paſtor in Waelhem, ubi pene incredibile eſt, quantos labores exantlarit & quantas moleſtias devorarit, dum ſedulus Paſtor vultum pecoris ſui cognoſcere, oves & agnos per ſanioris doctrinæ paſcua & arctum cæli tramitem ad vitam quaſi manu ducere, vitiis evellendis oviumque ſcabiei ſanandæ & virtutibus plantandis inſudare omnibus modis ſategit. Exercuit præ cæteris zelum ſuum (quem ſuo exemplo & in cæteris Archidioceſios parochis accendit) in eliminandis è parochia ſua perniciosiſſimis juventutis utriuſque ſexûs ad choreas, tripudia & compotationes conventiculis. His piis ſtudiis intentus meritis quàm annis gravior, à principe Paſtorum vocatus eſt ad meliorem vitam.

Digitized by Google

Dies.	*annus*	
23.	1632.	Petrus Caſtellanus *Gerardi-montenſis* Flander, Medicinæ Doctor, ejuſdemque ſcientiæ ac linguæ Græcæ Lovanii Profeſſor Regius. Scripſit *Vitas illuſtrium medicorum veterum & recentium.* Item de *eſu carnium libros* IV. Item *Convivium Saturnale.* Item *de Græcorum feſtis ſyntagma*, & alia non nulla.
	1710.	Lambertus de Loneux *Hervienſis* J. U. Doctor & S. S. Canonum Lovanii Anteceſſor Primarius, miræ eruditionis, judicii præcellentis, & boni publici iſtius Academiæ (quoad potuit) fideliſſimus promotor; ſed in florente ætate ſublatus.
24.	1602.	Joannes Fredericus Lumnius, à pago *Lumen* prope Dieſtemium, Paſtor Begginaſii Antverpienſis, vir pietate & doctrinâ clarus. Scripſit multa, inter quæ ſunt libri duo *de extremo judicio & Judæorum vocatione.* Item *Theſaurus Chriſtiani Hominis* libri VI., è ſcripſis B. Auguſtini. Item *de Chriſtianæ vitæ Reformatione* libri IV. Item de *Diſciplina domeſtica* libri VII. Item *de Mundi fuga & ad cælum curſu* libri IV. *De Vita Chriſtianæ Virginis.*
	1639.	Jacobus Boſius aliàs à Caſtro *Amſtelodamenſis*, creatus anno 1594. Lovanii S. T. Doctor, ab Archi-epiſcopo Mechlinienſi Hovio invitus conſecratur anno

anno 1611. Epiſcopus Ruræmundenſis. Extant typis editæ illius conciones plenæ zelo & eruditione.

24. 1728. Erneſtus Ruth-d'Ans *Ververienſis* doctus & exemplaris vitæ canonicus ad S. Gudulam Bruxellis, Electricis Bavaricæ Eleëmoſynarius, moliniſtis impensè odioſus, quòd & vivo Arnaldo uſque ad finem cohabitarit & cor defuncti ad Portum Regium, ut ſepeliretur, detulerit: Queſnello autem, qui multis annis cum eo moratus eſt, cunctiſque à Conſtitutione UNIGENITUS appellantibus apertè & indivulsè adhæſerit. Quapropter & morienti ex parte Cardinalis Archiepiſcopi Mechlinienſis denegata ſunt extrema eccleſiæ Sacramenta, & defunctus occultè ſepeliri debuit. Extant quoque aliquot ejus lucubrationes, quæ potiſſimùm conſiſtunt in recenſione tractatuum ante adhuc editorum, additis notis vel præfationibus, & in ſupplementis operum, quæ per mortem Aucthorum prodierant imperfecta. Inter illa ſunt duo vel tres ultimi tomi anni Chriſtiani, vulgò *l'Anneé Chretienne.*

25. 1642. Sebaſtianus Hooghkamer *Goeſanus* S. T. L. ex medico corporum factus medicus animarum & Paſtor Rotterodamenſis: ſpartam illam per duodecim

cim annis verbo & exemplo inſigniter adornavit, cujus viri charitas maximè enituit, dum infectis peſtilentiâ intrepidè & ſpiritualia & temporalia ſubſidia per ſe adminiſtravit. Obiit in opinione ſanctitatis.

26. | 1680. Macarius Havermans *Hollandus* doctiſſimus, Religioſiſſimus & ſummæ expectationis ad S. Michaëlem Antverpiæ Canonicus Norbertinus, cujus *Tyrocinium* & alii libri in omnium penè manibus, & apud doctos in pretio ſunt. Extinctus eſt anno ætatis ſuæ trigeſimo ſexto.

27. | 1649. Franciſcus Sylvius à *Brania-comitis* S. T. Doctor in Academia Duacena, pius & doctiſſimus Thomiſta celebri cenſuræ Duacenæ uſque ad mortem conſtantiſſimè inhærens. Scripſit illuſtrem theologiam ſcholaſticam juxta ordinem Summæ S. Thomæ quatuor craſſis voluminibus in folio, quibus Norbertus Delbecque eruditus Dominicanus operoſa collectione anno 1690. adjecit duo alia volumina quintum & ſextum, quorum *Prius* continet exemplarem & ſummè pœnitentem ac rigidam Sylvii vitam, tractatum de *Primo Motore*, tractatum de *ſtatu hominis poſt peccatum*, *varias Reſolutiones*, *Controverſias fidei cum* catalogo hæreticorum omnium uſque ad ſua tempora, &

Orationes viginti octo ſuper variis materiis à Sylvio publicè dictas: *Alterum* verò exhibet commentarios Sylvii in *Geneſim*, *Exodum*, *Leviticum* & *Numeros*.

27. 1673. Petrus Rooſe *Antverpienſis* ſanctioris Concilii Bruxellæ Præſes & Majeſtati ſuæ Catholicæ in Hiſpaniis Belgiciſque Provinciis à concilio Statûs, vir ingenioſus & eruditus omniumque eruditorum patronus ac fautor, Doctoribus verò Lovanienſibus nominatim Cornelio Janſenio Iprenſi ſincerâ amicitiâ conjunctus. Huic viro pro magna parte attribuendus eſt celebris *Mars Gallicus*, cujus conſtat ipſum totam penè libri materiem ſubminiſtraſſe.

1716. Guilielmus Van den Neſſe *Bruxellenſis* S. T. L. in urbe patria Paſtor ad S. Catharinam, celeberrimus per ea, quæ & vivus præclarè geſſit, & quæ ab adverſariis tùm ante tùm poſt mortem ſuſtinuit.

28. 1699. Nicolaus Bouchii *Fumacenſis* S. T. Baccalaureus & J. U. Licentiatus Lovanii Canonicus S. Petri, S. S. Canonum Profeſſor ordinarius ac Regius & collegii Winkeliani Præſes, vir eruditus & ſummi judicii, qui olim in ſummorum ingeniorum concurſu (*Faeſii*, *Roucourtii*, *Sichenii* &c.) quar-

Digitized by Google

quartum locum obtinuerat in generali artium Promotione. Univerſitati Lovanienſi quater Rector Magnificus præfuit & profuit. Paci Academicæ ſtuduit, ſi quis alius, à partium ſtudiis aliënus, ac omnibus perinde acceptus.

MARTIO.

3. 1720. DOminicus Snellaerts *Antverpienſis* J. U. L. ex celeberrimo Philoſophiæ & Hiſtoriæ apud Grudios, ubi olim in quatuor Pædagogiorum concurſu Primus fuerat proclamatus, Profeſſore Canonicus primùm Gandavenſis ac deinde, ut tranquilliùs ſoli Deo viveret, Antverpienſis, vir in Hiſtoria & Juris-prudentia ad ſtuporem verſatus, intelligentia quoque S. S. Litterarum non leviter imbutus. Apud Ordines Confæderati Belgii Hagæcomitis cùm frequenti cum ſapientiſſimis illorum Deputatis circa decimas Cadzandiæ collatione inſtituta jus Capituli Gandavenſis ad eas decimas ineluctabiliter evicerat ac demonſtrarat, meruit appellari *Jurisprudentiæ Oraculum & Hiſtoriæ Prodigium*. Hæſerunt etiam olim attoniti ad vaſtiſſimam accuratiſſimamque hujus viri noti-

notitiam doctiſſimi Benedictini Galli, quos cum Kintſio Aloſtano Pariſiis inviſit, quando publicabant novam Operum S. Hieronymi editionem. Bibliothecam ſuam exquiſitiſſimis in omni facultate libris inſtructiſſimam legavit Academiæ Lovanienſi, ut quem ipſe erga ſtudia zelum in Academia olim hauſerat, eum accenderet conſervaretque deinceps in Academicis. Optabant omnes, ut vir tantus cui omnes dotes ad rectè ſcribendum aderant, animus à terrenis expurgatus, ingenium acre, judicium ſubactum, ſacrarum linguarum peritia, ſtyli majeſtas, & labor indefeſſus, libris aliquot à ſe conſcriptis Eccleſiam & Rempublicam litterariam locupletaſſet: at ſi tam æquis votis non fuerit ſatisfactum, id non deſidiæ, ſed humilitati & animo à ſcribendi prurigine alièno adſcribendum. Inventa ſunt interim in ſcriniis defuncti non pauca de variis rebus manuſcripta (inter quæ celeberrimus ab eo confectus *Tractatus de ſucceſſione Epiſcoporum in Anglia*) ſed pleraque imperfecta, & ſi quæ facilè perfici potuiſſent, parendum fuit ultimæ clariſſimi viri voluntati, qui ægrè conceſſit, ut ſolæ *Annotationes in Evangelium S. Joannis*, & *in priora capita S. S. Matthæi & Lucæ*, typis publicis ſubjiceren-

Dies. annus

rentur. Decreverat elaboratiſſimum in quatuor Evangelia commentarium poſteris relinquere; ſed aliter viſum eſt rerum omnium Domino, qui per mortem limites piis ejus conatibus poſuit.

4. 1621. Moritur Bruxellis venerabilis Anna à Jeſu, S. Thereſiæ olim comes ac ſocia, eximiæ pietatis virgo.

1641. Henricus Rampen *Huenſis* S. T. Doctor Lovanii & linguæ græcæ Profeſſor. Per decennium in ſcholis publicis Sacram Scripturam explanavit, ſupplens vices fatiſcentis Jacobi Janſſonii, explanationem ſuam poſtmodùm prælo adornavit & publici juris fecit.

5. 1621. Henricus Sedulius Ordinis Minorum in Belgio præclarus Provincialis. Scripſit varia, inter quæ ſunt: *Commentarius de præſcriptionibus hæreticorum. Sanctorum Ordinis ſui vitæ cum notis. D. Bonaventuræ ſpeculum diſciplinæ auctum & notis illuſtratum. Apologeticus adversùs Alcoranum hæreticorum.* Obiit Antverpiæ.

7. 1628. Guilielmus Fabricius *Noviomagus* S. T. D. Lovanii, ibidemque S. Petri Decanus & Conſervator Privilegiorum. Edidit *Enarrationem in Paſſionem Dominicam*, ex variis S. Leonis Magni locis ac ſermonibus contextam: item

Iſagogen in eamdem Paſſionem.

7. 1642. Franciſcus Capronius *Gandavenſis* S. T. Doctor Lovanii Ordinis Prædicatorum ob profundam ſcientiam & linguarum græcæ atque hebraïcæ eximiam peritiam ad ſtrictius facultatis Theologicæ collegium adlectus. Obiit in feſto Doctoris Angelici, acerbiſſimis calculi doloribus exemplari patientiâ toleratis exhauſtus & per totos tres annos lecto affixus.

8. 1690. Natalis Deſamori *Huenſis* ex Theologo Lovanienſi Paſtor in Thourchain Diæceſios Tornacenſis ſanctitate vitæ, doctrina, zelo pro gloria Dei & charitate erga oves ſuas tota Diæceſi nominatiſſimus.

10. 1718. Joannes Pauwels *Lovanienſis* majoris Begginaſii in urbe patria Paſtor induſtrius, pacificus & amans omnium bonorum virorum.

11. 1725. Franciſcus de Coninck *Antverpienſis* Oratorii D. J. presbyter, virorum pro ſaniori doctrina vel pro Eccleſiæ diſciplina patientium hoſpes ac fautor.

12. 1637. Cornelius à Lapide, *ex Pago Bucold* haud procul à Thenis, Jeſuïta, vir modeſtus, pius, humilis, & multæ lectionis. Majorem vitæ ſuæ partem tranſegit Lovanii Scripturam Sacram apud collegas ſuos interpretando: ul-

timos

Digitized by Google

timos tamen dies ſuos eidem S. S. Litterarum interpretationi conſecravit in urbe Roma, ubi obiit ſeptuagenario major. Extant vaſta ejus volumina in Vetus & Novum Teſtamentum numero novem vel decem.

13. 1718. Judocus van Hecke *Waſianus* Religioſus & lector Averbodienſis, dein zeloſus & eloquentiſſimus Paſtor Venlonæ.

1730. N. de Tombeur *Thenenſis* Conciliorum Sanctioris ac Statûs in urbe Bruxellenſi Senator integerrimus, juſtitiæ & veritatis amantiſſimus.

14. 1738. Moritur Pariſiis anno ætatis ſuæ nonageſimo ſecundo N. Farvacques *Inſulenſis* canonicus Tornacenſis, vir ſummæ humilitatis & tenerrimæ pietatis. Luminoſus in Farvacquio amor ſanioris doctrinæ & exactioris diſciplinæ movit celeberrimum Epiſcopum Tornacenſem Gilbertum de Choiſeul, ut vel invitum præficeret ſeminario ſuo epiſcopali, præter quod onus etiam Sanctimonialium directionem coactus admiſit: cùm ſimiliter virum integerrimum arctiſſima dilectione proſequeretur Choiſculii in Epiſcopatu ſucceſſor Illuſtriſſimus Dominus Franciſcus Caillebot de la Salle. At ſubſtituto poſt illos alterius genii Antiſtite, libentiſſimè & ſeminarii præſiden-

Digitized by Google

tia ſe exuit, & Religioſarum regimen citra difficultatem dimiſit. Appellavit cum multis Paſtoribus aliisque Presbyteris Diæceſios Tornacenſis à Conſtitutione UNIGENITUS ad Concilium Generale: ex eo capite plurima perpeſſus ſic, ut ei tutum non eſſet ultra Tornaci perſiſtere. Recepit itaque ſe Pariſios, ubi appellationem renovavit, & per multos annos abſconditam Chriſti vitam adorans, totus ſolitarius ordinatiſſimè ac ſanctiſſimè reliquum vitæ tempus traduxit.

15. 1631. Thomas Fiënus *Antverpienſis* Medicinæ Doctor & Profeſſor Primarius in Academia Lovanienſi, Sereniſſimorum Belgii Principum ac Bojorum Ducis medicus cubicularius, vir præſtantiſſimus & in naturæ arcanis ita verſatus, ut vix parem, ſuperiorem fortaſſe invenias neminem. Inter opera ejus typis edita ſunt *Tractatus de cauteriis*, item alius *de viribus imaginationis*, item unus *de cometa anni* 1618. Præter hæc tria & nonnulla alia publici juris facta, reliquit moriens lucubratos in omnes medicinæ partes commentarios, qui Antverpiæ adſervantur.

1714. Joannes van Nieulande Oratorii D. J. Presbyter, vaſtiſſimæ Parochiæ S. Nicolai Waſiæ, unde ortus erat, pius,

pius, ſedulus, ſobrius & laborioſus Paſtor, qui numquam totâ vitâ intereſſe voluit conviviis, aut conventiculis potatorum.

16. 1738. Joannes Gerardus Kerkherdere *Falco-burgenſis* in humaniori litteratura ſat feliciter verſatus & præſertim facillimæ venæ poëta, Regii quoque Hiſtorici titulo honoratus. Anno 1706. in collegio S. S. Trinitatis Lovanii docens Syntaxim edidit & Facultati Artium dedicavit *Grammaticam latinam in faciliorem methodum redactam.* Extant inſuper poëmata ejus penè innumera, inter quæ *Vox Academica*, item vox *Academica ſecunda*, & *vox Academica tertia.* Theologum etiam eum probant bina ejus opuſcula ex antiquis noviſque Bibliorum interpretibus ſtudioſè collecta & contexta, quorum uni titulus: *Syſthema Daniëlicum*, & alteri *Syſthema Apocalypticum.* Obiit Lovanii, ubi ſtabiliter habitavit.

17. 1622. Franciſcus Schottus *Antverpienſis* vir conſularis & ſuæ urbis Senator, cui inter cætera ſcripta magnam famam peperit *Itinerarium Italiæ* ab ipſo compoſitum, & ſæpius auctum, multiſque in locis evulgatum. Adjecit poſtmodùm *Itinera Germaniæ*, *Galliæ* & *Hiſpaniæ*, nec non *Hiſpaniæ illuſtratæ* tomum IV. in folio. Scripſit & *Theſau-*

Digitized by Google

ſaurum exemplorum ſententiarumque ex ſcriptoribus tum græcis tum latinis collectum.

19. 1699. Joannes Ferdinandus de Beughem *Bruxellenſis* Antverpienſium Epiſcopus, vir pacificus & amans cleri ac bonorum virorum. Evulgavit anno 1694. Programma continens modum præſtandi juramentum Formularii Alexandri VII. ſedandis turbis aptiſſimum, etiam Romæ probatum, quia Brevi Innocentiano iſtius anni conforme; ſed Molinæ diſcipulis diſplicens.

20. 1625 Martinus Regius Flander *Ninovienſis*, ſacerdos zeli Apoſtolici, qui ſine ſacculo & pera totam Zelandiam aliasque Ordinum Confæderati Belgii Provincias prædicando & alia munia ſacerdotalia obeundo inter continua carcerum & vitæ pericula per annos quadraginta peragravit. Penè in effabilia ſunt, quæ fecit & paſſus eſt: ſuper quibus conſule & *Bataviam Sacram*, & alios. Obiit vir Apoſtolicus Ultrajecti ætatis anno 76.

21. 1712. Ignatius Franciſcus de la Hamayde J. U. Doctor Lovanii & Juris Civilis Anteceſſor Primarius, vir profundè doctus & boni communis fautor, quantùm temporis malignitas permittebat. Præter *Reſponſa & Conſilia juris*, extat ab ipſo inſigne opus, quod non

non modicam in tribunalibus parit utilitatem, cui titulus: *Commentarius ad Edictum Regium de Recuſationibus Judicum, datum Bruxellis* 25. *Maii* 1669. &c.

23. | 1606. Juſtus Lipſius *Brabantus ex Iſca majori.* Politioris litteraturæ ſuo ſeculo facilè princeps: cui ipſe Montagne gallus primum locum dedit in imperio litterario. Luſtratis variis Italiæ & Germaniæ Academiis, & abſcedens ob rerum turbas ac procellas, ubi juriſconſulti titulum aſſumpſerat, Lovanio, Ordinum Fæderatorum vocatu ac ſtipendio venit Lugdunum Batavorum, ubi per annos tredecim ſubſiſtens evulgavit tractatus ſequentes *Satyram Menipæam*, *Saturnalia*, de *Amphitheatro*, de *Conſtantia*, de *Politicis*, *Epiſtolas*, &c. Lovanium autem reverſus & in ea Academia, ædificato domicilio proprio, firmiter ſtabilitus, cæpit mox in lucem dare libros plurimos, qui & ſeorſum extant, & inter ſeptem vaſta Operum ejus volumina, tam in folio quàm in quarto edita reperiuntur. Sunt qui Lipſium & alia ſcripſiſſe exiſtimant, quæ inter ejus Opera non recenſentur. Sic nonnulli opinati ſunt *Hiſtoriam de Bello Belgico* diu poſt Lipſii deceſſum ſub nomine *Famiani Stradæ* evulgatam, pro majori

parte fætum eſſe Lipſianum, quæ tamen opinio à pleriſque ut non fundata rejicitur. Cæterò Lipſium ex Hollandia egreſſum certatim ad ſe invitabant ſupremi Principes complures, ipſe etiam Pontifex Clemens VIII. Benedictus autem Arias Montanus vir maximus & eruditis linguis cultiſſimus, Lipſio omnium rerum ſuarum conſortium, & ſucceſſionem ex aſſe offert; aſt omnibus prætulit Muſas Grudias.

23. 1646. Petrus Pelt *Ultrajectinus*, Oratorii D. J. Presbyter, ad S. Jacobum in urbe patria Paſtor, qui anno 1636. ad ſtuporem ipſorum etiam Acatholicorum cum capellano ſuo Regnero Godefridi diu noctuque adſtitit peſte infectis.

1730. Bartholomæus Peſſer van Velſen *Ultrajectinus*, Paſtor in Aelſmeer olim Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Caſtorienſi Joanni Neercaſſelio à ſecretis, & poſtremorum itinerum ac laborum præfati Antiſtitis comes ac ſocius. Fuit autem Peſſerius Scripturæ Sacræ & linguarum ſanctarum præſertim hebraicæ ſtudioſiſſimus, & S. S. Patrum maximè S. Auguſtini, librorum item *de Imitatione Chriſti* (quos libros de Imitatione latinis Verſibus expreſſit) lector indefeſſus. Complevit quoque ex mandato Neercaſſelii ægrotantis opuſ-

puſculum continens *Relationem ſeu Annotationes viſitationis per Daventrienſem potiſſimum Diæceſim anno* 1686. *inſtitutæ* à die 19. *Maii uſque ad* 14. *Junii* (quo die dictus Epiſcopus ſepultus eſt) ut in urbem mitteretur.

23. 1737. Franciſcus Coppens *Thamiſienſis* Oratorii D. J. Presbyter & Secretarius nec non Canonicus ſecundæ fundationis ad S. Gudulam Bruxellis, qui anno 1729. cum multis aliis ad evadendam ſignaturam Bullæ UNIGENITUS abſceſſit ex patria.

25. 1609. Gerardus Voſſius ex *Borchloon* S. T. D. Præpoſitus eccleſiæ Tungrenſis vir Græcè & Latinè apprimè doctus. Multa S. S. Patrum græcorum monumenta ex Bibliothecis, italicis Romæ, ubi pluribus annis habitavit, primus eruit & latinè reddidit. V. G. *S. Ephrem Syri Opera omnia cum notis, tribus tomis in folio. S. Gregorii thaumaturgi Opera omnia cum authoris vita & miſcellaneis aliquot S. S. P. P., additis ſcholiis*; & alia plura. Ediderat jam olim Lovanii *Rhetoricæ artis methodum*, item *Commentarium in ſomnium Scipionis* ex Cicerone, cum *Paraphraſi* & *Paradigmate variarum lectionum.*

26. 1656. Joannes Hugo Quarrè S. T. D. primus Oratorii D. J. in Belgio Præ-

poſitus, in Palatio Bruxellenſi concionator Regius, multa paſſus ab hoſtibus iſtius Congregationis. Scripſit varia idiomate gallico: *Threſor ſpirituel*, item *Traité de la Penitence*, & alia, quæ invenientur in CHRONICO ORATORII D. J. per Provinciam Archiepiſcopatûs Mechlinienſis.

29. 1639. Joannes Wiggers *Dieſthemienſis* S. T. Doctor Lovanii. Abſoluto Theologiæ curſu docuit Philoſophiam in Lilio, Theologiam in Catena Leodii, tandemque factus Regius Sacræ Theologiæ Profeſſor & canonicus S. Petri ad Grudios rediit: & quæ in ſummam Doctoris Angelici ad calamum dictaverat, limatiora abſolutioraque prælo ſubjecit: unde cum applauſu theologorum iſtius temporis prodiit *Theologia ſcholaſtica* ſatis nota. Signavit quoque Wiggerius menſe Auguſto 1624. ad inſtantiam Sereniſſimæ Infantis Iſabellæ cum Jacobo Janſonio cæteriſque collegis ſuis grandem *Inſtructionem & cenſuram Sacræ Theologiæ & Juris Utriuſque reſpectivè Doctorum pro canonizatione B. Joannæ Valeſiæ Annuntiatarum Fundatricis.*

30. 1713. Martinus de Swaen *Amſtelodamenſis* S. T. in Academia Lovanienſi Doctor, Decanus & Vicarius Generalis Capituli Harlemenſis, & Præfectus

tus ſeu Paſtor virginum in Angulo, vir pius & doctus, in quo tamen interdùm plus roboris deſideraſſent amici ejus & collegæ. Scripſit varia inter quæ eſt *Motivum juris pro Capitulo Cathedrali Harlemenſi*, item *Refutatio reſponſi ad illud Motivum.* Extant & duo tomi in 8. apud Grudios ſub titulo : *Opuſcula Eximii Viri Martini de Swaen*, anno 1703. editi, in quibus inveniet lector ſolidiſſimos tractatus contra Acatholicos de juſtificatione impii, de cultu & invocatione S. S. de veneratione Reliquiarum S. S, de honorandis imaginibus, de adoranda ſanctiſſima Euchariſtia &c. uti & inſignem defenſionem doctrinæ de gratia per ſe efficaci.

31. 1606. Philippus Zuerius *Antverpienſis* J. U. Doctor & Profeſſor primarius Lovanii, ubi per annos quadraginta ut oraculum undelibet conſulebatur. Extant ejus *Conſilia* & *Reſponſa* in variis linguis: item *Commentaria in librum* VI. *Codic.*, *de re teſtamentaria.*

1630. Franciſcus Duſſeldorpius *Lugduno-Batavus* ex celeberrimo juriſconſulto Hagienſi fit zeloſiſſimus ſacerdos & facundiſſimus eccleſiaſtes, aſſiduò inculcans pœnitentiam cum ſummo populorum accurſu & applauſu. Scripſit *de tumultibus Belgicis*, item *de Morte*,

te, de reſignatione, de diſciplina eccleſiaſtica, de providentiâ Dei. De matrimonio non ineundo cum infidelibus, & alia plura. Obiit cum opinione ſanctitatis.

APRILI.

3. 1652. JOannes Janſenius *Ackoyo-Batavus*, Illuſtriſſimi Cornelii Janſenii Iprenſis ex fratre nepos, Oratorii D. J. Presbyter, Canonicus Furnenſis, & Paſtor Aelſmeriæ, qui anno 1642. libellum ſupplicem Regi Catholico pro defenſione Patrui ſui obtulit & favorabiliter fuit receptus in Concilio Sanctiori.

1725. Cornelius Steenhovius *Amſtelodamenſis*, Archi-epiſcopus Ultrajectinus, vir humilis, moderatus, & facundiſſimus eccleſiaſtes, hoſpitalis etiam, benignus & affabilis, in Eccleſiæ Batavicæ negotiis ac juribus apprimè verſatus, & pro iis conſervandis invicta fortitudine præditus. Emenſus in Academia Lovanienſi laudabiliter Philoſophiæ & Theologiæ curriculum, Romam inſuper directus fuerat ad collegium Urbani VIII. ubi & S. Theologiæ magiſterium adeptus eſt, & in patriam redux mox Paſtorali curæ appli-

Digitized by Google

plicitus, in Aſſeſſorem Capituli Ultrajectini adlectus, & variis deputationibus fuit honoratus.

4. 1649. Henricus van Meppelen *Ultrajectinus* doctus & zelo plenus Paſtor Rotterodamenſis, munificus hoſpes & fautor virorum pro veritate vel diſciplina Eccleſiæ patientium.

1734. Joannes Chriſtianus van Erkel *Ultrajectinus* J. U. L., Paſtor Delphenſis & Decanus Capituli Romano-catholici Ultrajectini, vir ſummi judicii & ingentis eruditionis. Adeptus Lovanii Juris utriuſque lauream, tranſiit ad collegium Adriani VI. Pontificis, ubi plures annos ſub præſidio & directione eximii Doctoris Gummari Huygens impendit ſacræ Theologiæ aditis diligentiſſimè perveſtigandis. Reverſus deinde in patriam, adjutor primùm datus eſt patruo ſuo Nicolao Erkelio in cura Delphenſi ad S. Urſulam, cui & ſucceſſit. Enituit ab initio in viro magnus zelus pro ſaniori doctrina & tutiore praxi, ex quo zelo ſcripſit celebrem librum vernaculum: *De ruime Zédeleer*, & alia nonnulla. Fuit deinceps acriter ei decertandum pro juribus Eccleſiæ Ultrajectinæ, nec non pro executione legum decernentium, ut Eccleſiæ habeant Epiſcopum proprium, ſuper

quibus plurimos tractatus edidit, inter quos ſunt: *Defenſio Archi-epiſcopi Sebaſteni adversùs Cockium. Aſſertio Juris Eccleſiæ Ultrajectinæ. Obſervationes prodromæ in librum evulgatum ſub nomine C. P. Hoyinck à Papendrecht, cui titulus:* ECCLESIÆ ULTRAJECTINÆ HISTORIA. Item *Defenſio Eccleſiæ Ultrajectinæ adversùs C. P. Hoyinck.* Item quinque celebres Dialogi ſermone Hollandico, & alia plurima tam Belgicè quàm latinè exarata. Obiit octogenarius.

5. 1692. Emmanuël Schelſtrate ortus *Antverpiæ*, ibidemque Canonicus & Cantor, poſtmodùm Bibliothecæ Vaticanæ factus Romæ cuſtos, vir ingenioſus, doctus, moderatus, multæ lectionis & magnæ expectationis; ſed ex hac vita ereptus annos dumtaxat natus quadraginta ſex. Applicuerat ſe à juventute principaliter notitiæ eccleſiaſticarum antiquitatam. Ditavit interim rempublicam litterariam variis ſcriptis, inter quæ primaria ſunt: *Modus dignoſcendi ex forma caracterum ſive græcorum ſive latinorum ſcripturæ vetuſtatem.* Item tractatus *contra Lutheranos & Calviniſtas.* Item *Diſſertatio ſuper Concilio Antiocheno ſub Julio I.* Item *Antiquitas Eccleſiæ Illuſtrata per diſſertationes, monumenta & notas,*

notas. Item liber *de diſciplina ſecreti in S. S. Myſteriis.* Zelus ejus pro aucthoritate & infallibilitate Romani Pontificis occaſionem dedit pluribus Gallis materiam illam fuſiùs enucleandi. Unde extat contra Schelſtratium Opus poſthumum Antonii Arnaldi, cui titulus: *Eclairciſſement ſur l'authorité des Conciles Generaux & des Papes*, anno 1711. editum, & aliud alterius Galli anno 1734. evulgatum cum titulo: *Eclairciſſement de pluſieurs difficultez touchant les Conciles Generaux.* &c.

6. | 1639. Martinus van Velde *Lugduno-Batavus* Oratorii D. J. Presbyter; zeloſiſſimus Paſtor in Stompwyck, Segwaart, Soetermeer, &c. die 6. Martii 1639. prope Goudam ad altare ab apparitoribus lethaliter vulneratus, poſt menſem, id eſt 6. Aprilis, diem obiit ex vulnere: judicio purpuratorum Patrum, ut Roma 21. Maii 1639. ad defuncti ſororem ſcripſit Briënius, inter Martyres collocandus.

7. | 1694. Joannes Libertus Vaes Senator ſupremæ Curiæ Brabantinæ, vir conſtantiſſimus in bono communi promovendo & ſemper paratus *pro juſtitia agonizari pro anima ſua, & uſque ad mortem certare pro juſtitia*, amicus omnium eruditorum & liberalis hoſpes &

auxiliator omnium oppreſſorum pro tutela veritatis aut diſciplinæ eccleſiaſticæ obſervantia.

7. 1721. Ægidius de Witte *Gandenſis*, olim B. M. V. Mechliniæ ſub Archi-præſule Alphonſo invitus creatus Paſtor & Decanus, plurimis ſcriptis editis & verſione Flandrica S. S. Bibliorum clarus. Porrò ea, quæ ſcripſit præter verſionem Bibliorum jam memoratam, & pro ea verſione propugnanda in lucem data, dividi poſſunt in plures claſſes; in quarum prima collocari poſſunt multiplices tractatus, quos prælo commiſit, circa aucthoritatem Conciliorum Generalium & Romani Pontificis inhærens ubique ſenſis Eccleſiæ Gallicanæ. Ad ſecundam claſſem redigi poſſunt omnia, quæ in lucem emiſit pro doctrinæ *de gratia per ſe efficaci* patrocinio, quam certiſſimè credebat ſub prætextu & titulo *Janſeniſmi* tam turbulenter impeti, ne genuini S. S. Auguſtini & Thomæ diſcipuli propria defenſione occupati perverſis de divino auxilio ſenſis bellum indiceret. In tertia demum claſſe collocari poſſunt innumera penè ſcripta, quæ typis dedit in omni penè materia theologica; V. G. contra laxitates in moralibus, pro immunitate eccleſiaſtica, pro jure ſeu *competentia*, ut

vocant, *paſtorali* &c. &c. Sentiens virium imminutionem, omnium negotiorum tumultui ſe ſubtraxit per biennium integrum ante mortem, ea ſola conſiderans quæ ad perennem vitam mentem elevant. Atque ita placidiſſimè obiit, ſuſceptis conſuetis more catholico ſacramentis, & profeſſus, ſe amplecti omnia Eccleſiæ Catholicæ dogmata, atque ejuſdem Eccleſiæ Cathedræque S. Petri unitati ſe indivulsè inhæſiſſe ſemper ac inhærere.

8. 1725. Cornelius van der Malen doctus & præclarus Paſtor S. Lamberti Woluwe, & tractûs Bruxellenſis ad orientem Archi-presbyter, qui tamen in extremo ſenio ſtationem alteri cedens reliquum vitæ ad pedes Domini Jeſu tranſegit.

10. 1705. Joſephus Navæus Canonicus S. Pauli in civitate Leodienſi, vir eximiè pius & doctus, olim celebris Profeſſor in collegio S. S. Trinitatis Lovanii. Scripſit gallico ſermone librum de pietate fundata in regulis Fidei, qui etiam Flandricè anno 1710. Antverpiæ editus eſt ſub titulo: *Grondrégels der Godtvrugtigheid*.

1707. Jacobus Zaman *Waſianus ex municipio S. Nicolai* Oratorii D. J. Presbyter, humilis, fidelis & indefeſſus operarius in vinea Domini & Director par-

Parvi Begginaſii Bruxellis.

10. 1710. Joannes Beauver *Gemblacenſis* Oratorii D. J. Presbyter, olim inter primos primæ lineæ promotus, vir eminentis pietatis, profundæ eruditionis & ſummi judicii, S. Theologiæ Profeſſor primùm in Abbatiâ Radenſi, & deinde in Oratorio Lovanienſi.

12. 1695. Joſephus Couſebant *Harlemenſis* Doctor Sorbonicus, præclarus curiæ virginum in urbe patria præfectus, & Capituli Decanus ac Vicarius Generalis, nec non Epiſcopi Caſtorienſis Provicarius.

14. 1701. Antonius Riſack *Viſetenſis* ſub Archi-epiſcopo Mechlinienſi Alphonſo Archi-presbyter Bruxellenſis, librorum cenſor & pauperrimæ ſtationis (cùm pinguiſſimas ultro oblatas recuſaſſet) Beatæ Mariæ Montis Serrati Paſtor, vir doctiſſimus olim in prima linea Lovanii tertio loco promotus, in dubiis tum juridicis, tum theologicis reſolvendis quaſi boni conſilii Angelus ab omnibus timoratis uſque ad mortem honoratus.

15. 1610. Abraham Gorlæus *Antverpienſis* rei antiquariæ ac præſertim nummariæ, qua priſci Romani Græcique uſi ſunt, peritiſſimus. Scripſit *Dactyliothecam*, ſeu *annulorum ſigillorumque Promptuarium*. Item *Theſaurum numiſmatum* *fami-*

familiarum Romanarum.

16. 1731. Martinus l'Hoſpital *Wavrienſis* vir ſanctus & doctus, olim Lovanii in prima linea quarto loco promotus, Oratorii D. J. Presbyter, & S. Theologiæ Profeſſor, qui ex amore majoris ſolitudinis & pœnitentiæ Congregatione egreſſus, Bruxellæ per annos circiter triginta retro ſacellum S. Laurentii aſperrimam & pauperrimam vitam duxit ſemper ſolus: verùm jam ſenio confectus de conſilio amicorum recepit ſe ad monaſterium Alexianorum Lovanienſium, ubi cum magna charitate receptus pauculos annos vitæ reſtantis ſolitarius exegit, donec ſubitaria tactus apoplexia ex hac vita migravit.

17. 1701. Martinus Steyaerts *Somerghemius* S. T. Doctor Lovanii & Vicarius Apoſtolicus Sylvæducenſis vir ſummi talenti & in curſu ſuo Philoſophico primæ lineæ Primus. Miſſus fuerat cum Vianæo ſub Innocentio XI. Romam adversùs caſuiſtarum errores, quando & ſexaginta quinque laxitatum obtenta eſt condemnatio, omnibus exactioris diſciplinæ cultoribus tunc gratus. Poſt reditum ex urbe obſervata eſt in viro quædam mutatio. Unde nec caſuiſtis placuit, & caſuiſtarum adverſariis tandem graviter diſ-

pli-

plicuit, cum quibus poſterioribus etiam frequentia ei fuêre certamina non ſine inſigni diſpendio Univerſitatis Lovanienſis. Scripta ejus ſatis eleganti ſtylo exarata, edita ſunt Lovanii ſex tomis in 8.; inter quæ ſunt *Theologiæ Practicæ Aphoriſmi.*

17. 1707. Petronella van Caverſon ingenioſiſſima & præclariſſima Abbatiſſa de Cortenberg.

18. 1635. Judocus du Chaſtel *Bruxellenſis* Minorita. Edidit nonnulla, ſignanter conciones ad populum habitas.

1732. Henricus van Rhyn ortus ex Delflandiæ pago *Naelt-wyck* doctiſſimus Laïcus, linguæ latinæ atque hollandicæ peritiſſimus. Præter plures libros in idioma vernaculum verſos, conſcripſit egregium opus ſex voluminibus in folio ſub ſpecie notarum in *Bataviam Sacram*, dictum: *Kerkelijke Oudhéden*; quod apud omnes rerum Belgicarum haud ignaros, etiam apud ipſos reformatæ religionis cultores, maximi æſtimatur. Supplevit & quod deërat per mortem Andreæ Schurii in tranſlatione vernacula Bibliorum anno 1732. Ultrajecti editorum, adjunctis annotationibus in univerſam S. Scripturam.

19. 1626. Thomas Gratiani *Leodius* vir doctus, Auguſtinianorum in Belgio Provincialis,

lis, ubi ſuis inſigni induſtria procuravit varia collegia ſeu gymnaſia humanioris litteraturæ. Scripſit *Anaſtaſin Auguſtinianam*, ſeu de *Scriptoribus Ordinis Auguſtiniani.* Item *Orationes in vitam Chriſti*, &c.

20. | 1607. Cornelius Schultingius *Tranſiſelanus* ex Steenwyk S. T. L. vir pius & doctus. Scripſit multa, inter quæ ſunt 1. *Eccleſiaſticæ diſciplinæ libri* VI. 2. *Bibliotheca eccleſiaſtica.* 3. *Opus variarum lectionum & animadverſionum contra Calvinum.* 4. *Theſaurus antiquitatum eccleſiaſticarum contra Magdeburgenſes & Calviniſtas.* 5. *Confeſſio Hieronymiana* ex D. Hieronymi Operibus collecta & per locorum Theologicorum capita digeſta IV. tomis in folio. 6. *Hierarchica Anacriſis.* &c.

24. | 1736. Maria Anna Arenbergica & Arſchotana celſiſſimi Principis Alverniæ vidua, quæ, conceptâ per Dei miſericordiam à ſæculi vanitatibus averſione, per annos 13. vel 14. mirificè: ædificavit Eccleſiam tam in Belgio, quàm in Francia eximiæ pietatis exemplo. Zelum, quo ingenioſiſſima & inſigniſſima Princeps nitebatur eumdem pietatis ſpiritum ſuſcitare in aliis ſui ſexûs & ſtatûs perſonis, remuneratus eſt Deus per ſtupendam ac celebrem complurium converſionem: amor autem

purioris doctrinæ ac diſciplinæ attraxit ipſi perſecutiones non modicas, ſic ut neceſſarium duxerit in Confæderatorum Ordinum Provincias transmigrare. Obiit Ultrajecti poſt longos & acerbos morborum cruciatus patientiſſimè toleratos, munita conſuetis Eccleſiæ Romano-catholicæ adminiculis, annos nata 47.

25. 1731. Clemens de Waterloop *Flander*, pius, modeſtus & zeloſus Paſtor de Carvin-epinoy Diæceſios Tornacenſis, qui primus omnium, & quidem toto biennio ante quatuor celebres Epiſcopos Gallos, formaliter ſeu *in forma juris appellavit* à Conſtitutione UNIGENITUS ad Concilium Generale. Obiit exul in Schoonauw prope Ultrajectum.

29. 1663. Andreas van der Cruiſſen *Amſtelodamus* Canonicus Capituli Harlemenſis & Amſtelandiæ Archi-presbyter. Officium Miſſæ & Eccleſiæ ritus cum ingenti fructu in linguam vernaculam traduxit & explanavit.

30. 1665. Franciſcus Eelkens *Amſtelodamenſis* ex Oratorii D. J. Presbytero zeloſiſſimus Paſtor Hagæ-comitanus, qui poſt multos annos laboris Paſtoralis ad Congregationem ſuam reverſus, obiit in odore ſanctitatis Superior domûs Oratorii Bruxellenſis.

H MA-

M A I O.

1\. 1722. JOannes de Hooghe *Waſianus ex S. Egidii* Oratorii D. J. doctus Presbyter, notus per divexationes, citationes & ſententiam ſuſpenſionis in aula Archi-epiſcopali Mechliniæ contra ipſum anno 1717. latam; cùm jam ante citationes habitaret Antverpiæ: unde & recurſum inſtituit ad Supremum Senatum Brabantiæ, ubi cauſa hactenus pendet indeciſa.

1730. Jacobus de Viſch *Oſtendanus* Oratorii D. J. Presbyter, quondam inſtituendorum in domo Lovanienſi inſignis Director; unus ex iis, qui anno 1729. ob exactionem Formularii & Bullæ UNIGENITUS ex urbe Bruxellenſi receſſerunt in Confæderatum Belgium.

2\. 1737. Servatius Hoffreumont *Ververienſis* ſecundo loco Lovanii in prima linea promotus & excellens theologus, quondam præclarus lector in Abbatia, & zeloſiſſimus Paſtor in oppido S. Huberti, ac deinde *in Grace.* Multa paſſus eſt ob recuſatam acceptationem Bullæ UNIGENITUS, contra cujus exactionem etiam aliquot annos traduxit Viennæ apud Concilium Aulicum. Ultimos vitæ annos impendit inſtructioni clericorum Eccleſiæ Batavicæ.

H 2 Scrip-

Digitized by Google

Scripſerat ante plures annos tractatum gallicum bipartitum circa definitiones Romanorum Pontificum in materia fidei & morum, inhærens ubique ſenſis Eccleſiæ Gallicanæ, quæ nititur ſtabilire diſcurrendo per totam traditionem.

3. 1614. Sasboldus Voſmerus *Delphius*. Studiorum curriculo Lovanii cum laude expleto, & licentiæ theologicæ laurea in collegio Adriani VI. ſub Præſide Michaële Bajo donatus, regreditur in patriam, cui poſt plura munia laudatiſſimè obita tandem datus eſt Epiſcopus cum titulo Archi-epiſcopi *Philippenſis & Ultrajectenſis*, vir verè pius, doctus, modeſtus, laborioſus ac ſtrenuus, qui per ſe Lingæ & Oldenzaliæ ſubditos epidemiæ lue infectos viſitavit, fovit & Eccleſiæ Sacramentis refecit. Multa paſſus eſt in miniſterio ſuo à falſis fratribus pro diſciplina eccleſiaſtica, multa quoque pro Religione catholica ab acatholicis, à quibus ob exercitum Archipræſulis munus cogitur exulare. Extant plura ejus decreta & originales epiſtolæ. Obiit exul Coloniæ Ubiorum, honorificè tumulatus apud Franciſcanos Obſervantes ad Olivas, ubi & miraculis claruit.

1663. Jacobus Santvoert *Amersfortius* J. U. Doctor Lovanii & Juris Canonici Profeſſor Primarius nec non Decanus

nus ad S. Jacobum. Quidquid vir optimus longa annorum ſerie nummorum congeſſit, id totum liberaliſſimè impendit fundando geminum ſcilicet utrique ſexui inſigne Orphanotrophium.

4. 1615. Adrianus Romanus *Lovanienſis* vir perſpicaciſſimi ingenii & ſummi judicii, profeſſione Medicus & Mathematicorum ſui ævi facilè princeps, à Cæſare variiſque Europæ Principibus eximiè cultus, equitiſque aurati & aliis titulis honoratus. Extant ſcripta ejus plurima, inter quæ ſunt 1. *Ouranographia*. 2. *Methodus Polygonorum*. 3. *Speculum Mathematicum*. 4. *Idea Matheſios univerſæ*. 5. *Matheſis Polemica*. 6. *Theatrum urbium*, ubi habes urbium totius orbis ſuccinctam deſcriptionem. 7. *Supputatio eccleſiaſtica*. 8. *Theoria calendariorum*. 9. *Exercitationes cyclicæ contra Joſephum Scaligerum*. 10. *Arithmetica problematica*. 11. Opus ingens in folio *in Mahumedis Arabis Algebram*, &c. &c.

1680. Antonius de Graef *Strecano-Batavus* zeloſus Paſtor Nieropienſis, qui eminuit caſtimonia. Unde inſtar Jobi inito pacto cum oculis ſuis numquam obtutum conjiciebat in alterum ſexum, cùm tamen magno numero virgines ſanctiſſimè inſtitueret.

5. 1608. Hubertus Clericus *Inſulenſis* ſacerdos & in civitate patria ad S. Petrum ſedulus capellanus & non infelix Poëta. Evulgavit librum, cui titulus: *Poëſis Sacra.*

1639. Hermanus Oem *Dordracenus* & Dordraci Paſtor, Capituli Ultrajectini Aſſeſſor ſeu Canonicus & Hollandiæ Auſtralis Archi-presbyter. Scripſit vitam inſignis viri Hermani Haeckii.

6. 1638. Cornelius Janſenius *Leerdamenſis* in quatuor Pædagogiorum ſeu collegiorum Philoſophicorum concurſu anno 1604. Lovanii pronuntiatus *Primus*; creatus deinde poſt debitam annorum intercapedinem S. T. Doctor & Regius S. Scripturæ Profeſſor, vir uti eminentis pietatis & maximi ingenii, ita ſtudii indefeſſi, græcè & hebraïcè doctus, lectioni S. S. Patrum præſertim S. Auguſtini numquam non vacans, & tandem biennio ante mortem elevatus ad Cathedram Epiſcopalem Iprenſem. Præter AUGUSTINUM ſuum (cujus occaſione tanta in mundo turbamenta) ſcripſit *Pentateuchum* ſeu *Commentarium in* V. *libros Moyſis*; item *Tetrateuchum* ſeu *Commentarium in* IV. *Evangelia*, item *Analecta in Proverbia*, *Eccleſiaſten*, *Sapientiam*, *Habacuc & Sophoniam.* Item libellum

eo tempore maximi apud omnes æſtimatum, cui titulus *Spongia notarum*, quibus *Alexipharmacum* ſuum Gisbertus Voetius aſperſerat. Præter quæ extat laudatiſſima illa *Oratio de interioris hominis Reformatione*, quam olim in Refectorio Benedictinorum Afflighemienſium, præſente Archi-epiſcopo Mechlinienſi *Jacobo Boonen*, habuit ipſa die, qua Religioſi illi cum Præpoſito ſuo Haeftenio exemplarem Reformationem aſſumpſerant, quæ oratio ex ipſis penè S. Auguſtini verbis contexta etiam gallicè & flandricè verſa eſt.

6. 1710. Guilielmus Geeraerdts *Antverpienſis*, vice-Paſtor S. Quintini apud Grudios digniſſimus ſucceſſor ferventiſſimi ſacerdotis Ægidii Heemans qui pondus illud portaverat per annos viginti-quatuor; ſed Guilielmus hic *conſummatus in brevi* (duorum menſium ſpatio) *explevit tempora multa.*

1714. Ignatius Walvis *Ultrajectinus*, Paſtor Goudanus & Capituli Ultrajectini Canonicus, vir eruditus, facundus & placidis moribus præditus. Obtento acceſſu ad omnia monumenta & archiva, edidit ſermone vernaculo amplam urbis Goudanæ deſcriptionem, in qua exhibentur & antiqua & mutata ſeu moderna forma Regiminis, urbis

bis iſtius eccleſiæ, ſacella, monaſteria, fundationes, illuſtria ædificia, primaria opificia & commercia, ſcholæ, viri docti ac celebres, &c.

6. 1721. Lambertus Ledrou *Huenſis* ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini, quondam optimi nominis Doctor in S. Facultate Theologica Lovanienſi, qui anno 1692. Romam evocatus ad multigeni honoris etiam Epiſcopalis gradus ſublimatus eſt. Interim in dignitatibus illis & ſpinoſis negotiis poſitus conſcripſit & ſanctiſſimo Domino Clementi XI. dedicavit inſignem librum, quo amoris Dei in Sacramento Pœnitentiæ neceſſitatem invictiſſimè demonſtravit.

7. 1671. Petrus Stokmans *Antverpienſis*, in conſueta Philoſophorum concertatione anno 1626. Primus Lovanienſis, inde J. U. Doctor, linguæ græcæ ac titulorum Regius Profeſſor & tandem in Suprema Brabantiæ Curia Senator, quam ſpartam vir doctiſſimus & integerrimus egregiè exornavit. Extant varia opera ejus *Juridica*, item *Jus Belgarum* circa Bullarum Pontificiarum receptionem. Item *Defenſio juris Belgarum contra evocationes & peregrina judicia*.

8. 1666. Johannes Sinnigh *Corcagienſis - Hybernus* quidem nativitate, ſed à pubertate

tate Lovanii educatus, ubi etiam anno 1625. in Philoſophorum promotione primum locum obtinuit. Poſtmodùm ex Philoſophiæ Profeſſore creatus S. T. Doctor Facultatis Theologicæ Regens & majoris collegii præſes, evaſit inter Theologos ſui ſæculi admodùm celebris. Extant opera ejus complura; & quidem primo loco collocanda ſunt ſcripta, per quæ victrici calamo Lutheranorum & Confeſſioniſtarum inſoleſcentem *Goliathum* inſtar Davidis profligavit. 2. *Saül ex-rex*, quod opus ei locum dedit inter malleos Probabilitatum. 3. *Vindiciæ Decalogicæ*. 4. *S. S. Patrum pro gratia Chriſti & libero arbitrio decertantium Trias*, *Auguſtinus Hipponenſis adversùs Pelagium*, *Proſper Aquitanus adversùs Caſſianum*, & *Fulgentius Ruſpenſis adversùs Fauſtum*. 5. *Peregrinus Hieroſolymitanus* ſub nomine *Celidonii Nicaſi*. Sunt & alia plura, quæ ſcripſit occaſione commotionum contra *Auguſtinum* Janſenii, ob quas cum Cornelio Papeo fuit ſolemniter deputatus ad S. Sedem, ubi apud duos ſummos Pontifices Urbanum VIII. & Innocentium X. cum magna ſubmiſſione & Chriſtiana libertate deputationis ſuæ cauſam æquitatemque expoſuit & defendit, ingentem eruditionis & ſincerita-

tis famam apud illos conſecutus.

10. 1712. Simon Franciſcus Coetenburg *Amſtelodamenſis*: per annos viginti Purmurendæ Paſtor & Archi-presbyter, dein Paſtor Begginaſii in urbe patria, Archiepiſcopo Sebaſteno quondam intimè charus.

12. 1634. Gerardus de Villeers *Lovanienſis* Toparcha de Villeer-Perwin, Medicinæ Doctor & Profeſſor primarius Lovanii, Archi-ducum Alberti & Iſabellæ medicus cubicularius, & apud varios Principes ac Magnates in æſtimatione habitus.

1702. Wilhelmus Schep *Amſtelodamenſis* S. T. L. in urbe patria Paſtor & Capituli Harlemenſis Canonicus ac Vicarius Generalis. Scripſit patrio ſermone *Explanationem fidei catholicæ* anno 1694. Amſtelodami in 8. editam.

13. 1619 Auguſtinus de Rycke, Patricius *Lovanienſis*, J. U. Doctor, ob celebritatem nominis ſui Herbipolim ab Epiſcopo ac loci Principe evocatus ad docendum jura; verùm in patriam rediit electus Canonum Anteceſſor ſeu Profeſſor Primarius.

1733. Cornelius Joannes Barchman Wuytiers *Ultrajectinus*, ex antiquo *Bertholdorum* urbis Mechlinienſis Regulorum ſeu Dominorum ſtemmate oriundus, J. U.

Digitized by Google

J. U. L. Archi-epiſcopus Ultrajectenſis, vir pietate, Sacrarum Litterarum amore & notitia, ſuavitate & efficacitate eloquii, aſſiduitate in concionibus aliiſque laboribus paſtoralis officii, gravitate ac majeſtate in Sacramentorum adminiſtratione, zelo pro gloria Dei, conſtantia in adverſis planè admirandus.

15. 1633 Georgius Maigretius ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini in Academia Lovanienſi S. T. Doctor. Scripſit *Martyrographiam Auguſtinianam*. Scripſit & plura alia ſermone Walonico, quæ recenſentur in poſteriori editione Bibliothecæ Belgicæ.

1689. Henricus Schaille *Dionantinus*, S. T. Doctor Lovanii, Regius Profeſſor & majoris collegii præſes, vir magni judicii, boni conſilii, & ſincerus amator pacis Academicæ. Scripſit librum, cui titulus: *Obligatio & modus adminiſtrandi Sacramenta tempore peſtis.*

1703. Joannes Roos *Rotterodamenſis*, S. T. L. Oratorii D. J. Presbyter, Paſtor & Archi-presbyter in civitate Delphenſi nec non Capituli Ultrajectini Canonicus & œconomus. Scripſit opuſcula complura idiomate vernaculo, quæ anno 1737. omnia 5. tomis edita ſunt ſub nomine *Adriani van Woelwyck*, agiturque in pleriſque contra varios er-

Digitized by Google

rores Lutheranorum, aliorumque Proteſtantium. Inter illa opuſcula ſunt: *De Vredevorſt Salomon. De wijze Bouwmeeſter Jeſus Chriſtus. De dwaeze Bouwmeeſter Marten Luther. De getrouwe Rentmeeſter.* &c. Erat autem Joannes Roos ex familia Illuſtriſſimorum Præſulum Adriani & Petri de Walenburg, ſed in hæreſi ac ſchiſmate Remonſtrantium educatus, & Simonis Epiſcopii famoſiſſimi Remonſtrantium miniſtri avidiſſimus auditor, è cujus tamen erroribus mirabiliter ac miſericorditer à Deo ereptus evaſit ſtrenuus Catholicæ fidei propugnator.

15. 1736. Petrus Melis *Amſtelodamenſis*, filius Conſulis iſtius urbis, S. T. L. ex Philoſophiæ Profeſſore creatus Lovanii Præſes collegii Hollandici vulgò D. Pulcheriæ, cui per annos ferè quinquaginta præfuit: jure nominationis etiam adeptus canonicatum in Cathedrali Eccleſia Brugenſi. Geſſit tertiò difficillimis temporibus ſupremum Univerſitatis magiſtratum Rector Magnificus cum vigore & cum ingenti diſciplinæ Academicæ emolumento. Egreſſus anno 1729. Lovanio cum variis Præſidibus, Profeſſoribus aliiſque viris doctis ad evitandam indiſtinctam Formularii Alexandrini ſignaturam & ſuſ-

ſuſceptionem Bullæ Unigenitus, traduxit extremos vitæ ſuæ annos in civitate Delphenſi cum exemplari humilitate ac pietate, mortuus octogenario major.

17. 1719. Joannes Pie *Antverpienſis*, doctus & pius Paſtor de Cortenberg, qui cum pluribus collegis ſuis Senatui Brabantino libellum ſupplicem obtulit contra exactionem Conſtitutionis Unigenitus.

18. 1663. Balduinus Catzius *Gorcomienſis* S. T. L. Harlemi in Angulo vigilans Paſtor, Capituli Decanus & Vicarius Generalis, qui poſt longam reſiſtentiam anno 1662. factus Archi-epiſcopus Philippenſis & per Fæderatum Belgium Vicarius Apoſtolicus; fatiſcens ſub onere ex dolore & anxietate conſcientiæ brevi incidit in mentis infirmitatem, quæ ipſi adhæſit uſque ad mortem, quam oppetiit apud Presbyteros Oratorii Lovanienſis, in quorum eccleſia ſub magnifico lapide ſepulchrali tumulatus eſt.

1712. Jacobus Catzius *Gorcomienſis* ex eadem proſapia (qua Balduinus) celebris Paſtor S. Gertrudis Ultrajecti in Angulo, Archi-presbyter item, & Capituli Ultrajectini Canonicus ac Vicarius Generalis, vir omnigenis dotibus mirificè à Deo exornatus, in cujus

moribus nihil fictitium, ſed omnia ſponte nata; in ſtudiis, precibus & ſacris vigiliis aſſiduus, in docendo gravis, induſtrius, ac indefeſſus, in hoſpites benignus, in egenos munificus, pro defenſione veri & æqui imperterritus, ſemper æquo animo in proſperis & in adverſis.

21. 1612. Carolus Maſius *Bruxellenſis*, frater Engelberti Maſii Sanctioris Concilii Præſidis, quartus Gandavenſium Epiſcopus, vir ob egregias animi corporiſque dotes ſummæ expectationis, ſed ſecundo Sedis anno extinguitur.

22. 1679. Laurentius Neeſen *Brabantus* S. T. L. præclarus Præſes ſeminarii Archiepiſcopalis Mechlinienſis & Eccleſiæ Metropolitanæ Canonicus, vir doctus & amans veritatis, qui & ſeminarii cenſum inſigniter auxit, ſed ea lege, ut Profeſſores aſſumantur ex ſolo clero *ſæculari*, ut vocant. Præter nonnullos libellos aſceticos ſcripſit *Theologiam Scholaſticam*, quæ in omnium manibus eſt.

23. 1626. Hermanus Ottenbergius *Noviomago-Guelder*, inſignis Epiſcopus Attrebatenſis, cui 7. vel 8. annorum puero B. Philippus Nerius Romæ, ubi cum patre ſuo erat, Epiſcopatum prædixit, in cujus rei memoriam fundavit Oratorium Duaci.

Ca-

Dies.	annus	
23.	1698.	Carolus Soenens *Gandenſis* S. T. L. ſummæ expectationis ſacerdos, ſed in primo zelo ac fervore ex hac vita ereptus. Defenderat anno 1690. ſub Huygenio Lovanii celebrem theſin *de Caſtitate*.
	1736	Nicolaus de Tombeur *Thenenſis* Auguſtinianus S. T. L. vir pius & doctus. Scripſit inſignem tractatum *de praxi Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ*, & alia nonnulla.
26.	1728.	Joſephus Bade *Flander*, zeloſus Paſtor in Moen Diæceſios Tornacenſis pago, duriſſima paſſus ab Officiali Tornacenſi ob appellationem à Conſtitutione UNIGENITUS, à Cæſareo autem Concilio Statûs uſque ad mortem aſſertus in potiori parte proventuum Paſtoralium. Cadaver defuncti è cæmiterio erutum ſepultum fuit in horto paſtoratûs.
	1729.	Sebaſtianus van Hachten *Mechlinienſis*, Ordinis Præmonſtratenſis in celebri Abbatia Grimbergana Prior & doctiſſimus S. T. Lector, principiis S. S. Auguſtini & Thomæ *de Gratia & Prædeſtinatione* excellenter imbutus, qui videns, nullam affulgere ſpem Abbatiam illam, quæ à 60. circiter annis opera cujuſdam Lectoris à ſententia Magni Patris ſui Auguſtini & totius Candidi Ordinis defece-

rat,

rat, ad ſenſa priſtina reducendi, imo nec libertatem ſibi eſſe antiquæ Ordinis placita in ſchola ſua explicandi, cum licentia ſui Generalis locum deſeruit, ac deinde Eccleſiæ Batavicæ ſacerdotum penuria laboranti operam impendit, piis laboribus immortuus in inſula Nordſtrandica.

28. 1657. Antonius Trieſt *Waſiæ-Beverus* J. U. L. ſeptimus Gandavenſium Epiſcopus vir pro decore domûs Dei per totam Diæceſim reſtaurando & augendo zeloſiſſimus, in pias fundationes munificentiſſimus, in egenos effuſiſſimus, indivulsè unitus Archi-epiſcopo Mechlinienſi Jacobo Boonen, & S. S. Auguſtini & Thomæ diſcipulis, ex eo capite nonnulla paſſus. Edidit utiliſſima Statuta pro directione ac diſciplina Diæceſios, & poſt longos labores placidè obdormivit in Domino octogenario major.

30. 1620. Matthias Hovius *Mechlinienſis* S. T. L. ex Paſtore S. Petri in urbe Patria & Archi-diacono Metropolitanæ, tertius Mechlinienſium Archi-epiſcopus, vir integerrimus & ſermonis gratiâ eminentiſſimus ſive ad populum de divinis verba faceret, ſive cum Viris Principibus de Reipublicæ negotiis ageret. Celebravit anno 1607. tertiam Synodum Provincialem, in cujus auſpiciis

ciis habuit elegantem & doctam Orationem de cauſis Synodi, & de abuſibus Cleri & Eccleſiæ tollendis. Anno autem 1609. habuit inſuper *Synodum Diæceſanam*. Defunctum laudavit pro funere Eximius Doctor Jacobus Janſonius Mechliniæ, & Laurentius Beyerlinck Affligemii.

30. 1640. Petrus Paulus Rubens *Antverpienſis*, Pictorum ſui ſæculi facilè princeps, legatione ad Aulam Francicam à Rege Catholico honoratus.

1651. Henricus de Vicq *Toparcha de Meulevelt*, Sereniſſimorum Belgii Principum Legatus apud Aulam Francicam, Præſes Magni Concilii ſeu Parlamenti Mechlinienſis, Archi-epiſcopo Mechlinienſi Jacobo Boonen & omnibus viris doctis amiciſſimus.

1721. Joannes vander Cammen *Lyranus*, zeloſus Paſtor S. Jacobi in civitate Gandavenſi, qui aliquot annis ſancto Paſtori Flemalio cohabitaverat, ut diſceret, qua ratione in cura animarum eſſet procedendum.

31. 1680. Ignatius Auguſtinus de *Grobbendonck* ex Illuſtri familia iſtius nominis, undecimus Epiſcopus Gandavenſis, exactioris diſciplinæ virorum amans; ſed præpropera morte ſublatus, nempe quinto menſe ſui Epiſcopatûs.

J U N I O.

1. 1602. MAtthias Lambrechts *Maldegemenſis* S. T. L., tertius Epiſcopus Brugenſis, qui ſex annis grandi ſtudio & zelo Eccleſiæ iſti præfuit, plurimùm incumbens converſioni eorum, qui à fide defecerant. Scripſit vernaculo ſermone *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, & *Vitas Sanctorum*.

1627. Arnoldus Baertius *Bruxellenſis* J. U. Doctor in Academia Duacena, & exinde Conſiliarius Regius in Parlamento Mechlinienſi, vir juris ſcientia ac rerum forenſium uſu excellens, & in dirimendis diſſidiis publicis clarus ac felix. Edidit complures juris tractatus, inter quos ſunt *Nux Feudalis. Ad L. unicam. Ad L. Vinum. Ad Tit D. de eo quod certo loco. C. de Sententiis. De rebus creditis*, &c. &c.

2. 1731. Franciſcus Vivien *Bruxellenſis*. Abſoluto curſu Theologico egit zeloſum Vice-paſtorem Aſcanum ſub eminenti Paſtore Paſchaſio Cole. Inde factus Canonicus S. Petri Lovanii, totum tempus, quod officiis canonicis ſupererat, conſecravit jurisprudentiæ, in qua tam feliciter profecit, ut vir maximus Bernardus Zegerus van Eſpen, cui intimè charus erat, nihil umquam ſig-

ſignaret vel ederet, niſi ipſo præviè conſulto. Abſceſſerat jam ſenex anno 1729. cum multis aliis Academicis in Fæderatum Belgium ob exactionem Formularii & Bullæ Unigenitus.

3. | 1703. Rumoldus Backx *Mechlinienſis* S. T. L., per annos viginti quinque facundiſſimus Plebanus Antverpienſis, vir pius, doctus, zeloſus & multa benignitate ac morum honeſtate exornatus, qui tamen odioſum Janſeniſmi nomen haudquaquam effugere valuit. Econtrariò in horrenda illa accuſatione miſſa ad Aulam Madritenſem de conſpirantium conventiculo (quod improbi quidam finxerant Lovanii celebratum) invenitur Backxius collocatus inter primarios, & quidem inter quinque *novorum ſectariorum*, ut integerrimos viros appellabant accuſatores, *corypheos:* verùm Regis Catholici Concilium Sanctius (viſâ ſuper hoc repræſentatione Gummari Huygens, Lamberti Baerts, Eraſmi van Geet, Guilielmi van den Neſſe, & hujus, de quo ſermo eſt, Rumoldi Backx) initio anni 1699. miſit in Hiſpanias præclariſſimam conſultationem ad compeſcendas ejuſmodi temerarias, mendaces ac turbulentas accuſationes. Conciones Backxii diſertæ ac eruditæ editæ ſunt 14. tomis in 8. è quibus quatuor

K 2 ſunt

Digitized by Google

ſunt *de converſione peccatoris*, tres *in Decalogum*, quatuor *in Dominicas*, duo *in feſta*, & unus *de Paſſione Domini.*

6. 1686. Joannes Neercaſſel *Gorcomienſis* Oratorii D. J. Presbyter, Epiſcopus Caſtorienſis & Vicarius Apoſtolicus Fœderati Belgii, piis laboribus immortuus Swollis in Tranſiſelania, vir pietate & doctrinâ clarus, & per plures libros in lucem editos notus, inter quos primarii ſunt 1. *Amor Pœnitens, ſive de Divini Amoris ad pœnitentiam neceſſitate, & recto clavium uſu, Lib. II.* 2. *De Cultu B. M. V. & Sanctorum.* 3. *De Lectione Scripturæ ſacræ.* 4. *Confirmatio in fide & ſolatium in perſecutionibus.* Quibus adjici poſſunt variæ Declarationes, Apologiæ, Conſiderationes, grandes Epiſtolæ ad Cardinales circa librum *Amor Pœnitens*, variæ Epiſtolæ Paſtorales, & Diſſertationes ſuper variis materiis. Vitam hujus viri magni breviter complectitur epitaphium lapidi ſepulchrali inſculptum in templo religioſarum tertiæ Regulæ S. Franciſci Glaniæ, qui eſt locus in Diæceſi Monaſterienſi tribus leucis ab Oldenſalia Tubantiæ oppido, quod epitaphium quia in *Batavia Sacra* & variis libris invenitur, hìc omittitur. Id unum prætereundum non eſt; cùm

cùm librum *Amor Pœnitens* quidam apud Innocentium XI. accuſarent, reſpondiſſe Sanctiſſimum Dominum, qui Neercaſſelium & præſens viderat & intimè noverat: *Il libro è bueno & l'autore ſanto.*

7. 1726. Petrus vande Zande *Guelder*, ex præclaro & magnæ expectationis theologo Lovanienſi factus amore vitæ incognitæ Canonicus Regularis Ordinis S. Crucis. Unde electus Prior dignitati illi (quæ erat ad vitam) ſpontè ceſſit, ſatiùs ducens in diverſis domibus zelosè prælegere & inculcare doctrinam magni Patris ſui S. Auguſtini, vir profunda humilitate ſibi viliſſimus, obedientia erga Superiores exemplaris, in adverſis patientiâ ſingularis. Studio, lectioni, S. S. Scripturarum meditationi aſſiduè operam dans, in ſilentio poſſedit animam ſuam, nihil aliud ſciens, quàm latêre & orare, placidè ſemper agere, in multis cedere.

8. 1608. Nicolaus Oudaertus *Bruxellenſis* J. U. Licentiatus Canonicus & Officialis Mechlinienſis. Evulgavit anno 1600. *Ephemeridas Eccleſiaſticas* ſeu Faſtorum Sacrorum compendium; & anno 1606. *Lacrymas in funere amici ſui Juſti Lipſii.*

9. 1739. Theodorus vander Croon *Culenburgenſis*, Archi-epiſcopus Ultrajectinus,

vir pientiſſimus, humillimus, mitiſſimus & ſummè pacificus, ſed etiam fortiſſimus, ubi id neceſſitas exigebat. Sic eminuit totâ vitâ in ſpiritu orationis, ut ab ipſo ſacræ ſcientiæ tyrocinio appellaretur vir precum vulgò *de Bidder*. Nemo umquam ab ipſo triſtis abſceſſit: nam ipſas duriores correptiones, quas nonnumquam adhibere jubebat rei gravitas, noverat quadam ſpiritûs unctione condire. Quod charitatis ſuave condimentum ſpirant quoque ſcripta, quæ coäctus fuit edere. Et hæc Præſulis in omnibus moderatio elicuit laudationem vel ex ore illorum, qui jam pridem & ipſi & clero ejus ſunt adverſati. Ab initio curæ animarum, cui multum temporis alibi, & in civitate Goudana totos viginti quinque annos ut Paſtor conſecravit, numquam à verbi divini prædicatione deſtitit, cui laborioſæ functioni etiam immortuus eſt. Et ut de cæteris virtutibus paſtoralibus ſileamus, tanta vigebat in hoc viro pro pauperibus ſolicitudo, ut nulli ſubditorum ſuorum indigentium ſineret quidpiam deëſſe; ex eo capite apud ipſum civitatis Prænobilem Magiſtratum, licet acatholicum, magnis encomiis celebratus.

11. 1720. Gaſpar Lamberti piiſſimus ſub Huygenio

genio collegii Adriani VI. Lovanii æconomus & receptor, ſic curans temporalia, ut orandi ſtudium numquam intermitteret, ubique ignorantes doceret etiam dum foris agebat rem temporalem collegii, conſilio dirigeret fluctuantes, imbecilles roboraret, omnibus eſſet auxilio. Uno verbo erat Huygenio, quod S. Bernardo erat frater ejus Girardus.

12. 1707. Carolus Benthzeradt quadrageſimus ſecundus Abbas Aureæ Vallis in Ducatu Luxemburgenſi; vir ingenioſus, affabilis & ſanctis moribus à teneris exornatus, qui cum placida manſuetudine, tranquilla patientia & invicta fortitudine primus cæpit & perfecit ſtupendam illam & toto orbe catholico celebratam monaſterii ſui reformationem.

13. 1695. Theodorus van Ryswic S. T. L., Ordinis Præmonſtratenſis Antverpiæ ad S. Michaëlem Canonicus & Theologiæ Profeſſor; S. S. Auguſtini & Thomæ de gratia & prædeſtinatione principiis inſigniter inſtructus, eadem acriter propugnavit, conſtanter inculcavit & in ipſis etiam concionibus ad plebem ferventer ac dilucidè promulgavit. Abreptus ex hac vita in flore ætatis.

15. 1684. Lambertus Vincent *Gravienſis*, S. T. Doctor & Profeſſor Lovanii, ſtrictæ

Digitized by Google

ſtrictæ Facultatis Sacræ Regens & collegii Vigliani Præſes, vir doctiſſimus & pientiſſimus; olim in concurſu Philoſophorum primus Univerſitatis. Tanta vigebat in viro idea Divinæ Majeſtatis, ut quoties offerebat adorandum Sacrificium, æſtuaret, ſudaret ac tremeret.

16. 1694. Henricus vander Graft *Lugduno-Batavus*, vir integritate & vitæ ſanctimonia conſpicuus. Derelictis ob morbum & corporis incommoda Pastoratu Langerarienſi & Rhenolandiæ Archi-presbyteratu ultimos vitæ annos exegit totus ſolitarius, cognominatus idcirco ab Epiſcopo Caſtorienſi, & deinceps vulgò dictus PACHOMIUS. Mira fecit & paſſus eſt. Scripſit quoque nonnulla vir ſanctus enumerata in Batavia Sacra, quæ potiſſimùm orationem interiorem concernunt, in qua multùm profecerat ſub directione percelebris R. P. Joannis Evangeliſtæ Capucini novitiorum Lovanii inſtitutoris.

17. 1686. Joannes Wandelman *Amſtelodamenſis* in urbe patria Paſtor, & Canonicus Harlemenſis, qui eximia ſua eloquentia & doctrina plures devios ad Eccleſiæ gremium reduxit.

1696. Gerardus Cremers *Daventrienſis*, tertius Oratorii D. J. per Provinciam Archi-

Dies. annus

Archi-epiſcopatûs Mechlinienſis Præpoſitus, vir pacificus & diſciplinæ amantiſſimus.

21. 1712. Sebaſtianus Thibaut S. T. L. ex Philoſophiæ apud Grudios Profeſſore eccleſiæ cathedralis Antverpiæ Canonicus & Archi-presbyter, Præſes Roſæ ſive collegii Paſtorum emeritorum, & ſede vacante Vicarius Generalis, vir doctus, & doctrinæ S. S. Auguſtini & Thomæ conſtantiſſimus cultor.

22. 1649. Paulus de Rycke *Lovanienſis* clariſſimi Auguſtini Ryckii præclarus filius, urbis ſuæ ſupremus Prætor.

23. 1671 Joannes Putkamerus *Ultrajectinus* S. T. L. in urbe patria Paſtor ad S. Nicolaum, Capituli Ultrajectini Canonicus, & Vicarius Generalis, iis doctrinæ ac prudentiæ dotibus præcellens, ut bis à clero ſcilicet anno 1637. & 1655. fuerit expetitus in Archi-epiſcopi ſui *Coadjutorem*.

25. 1633. Stephanus Weymeſius à Voerda *Ultramoſanus* J. U. Doctor Lovanii legum Primarius Anteceſſor & Profeſſor jubilarius. In lucem dedit Joannis Wameſii tractatum poſthumum *de Appellationibus*; & *Reſponſa juris*. Ipſe verò conſcripſit & edidit *Analyſim ad Conſtitutiones* 24. *ex antiquo jure deſumptas & per S. Concilium Tridentinum innovatas*.

1688. Joannes à Wachtendonck *Mechlinienſis*,

Digitized by Google

nienſis, ex Epiſcopo Namurcenſi Archi-epiſcopus Mechlinienſis, vir ſtudioſus, amans cleri & diſciplinæ. Scripſit latinè vitam S. Rumoldi. Publicavit quoque *Orationem funebrem*, qua proſecutus eſt laudes Alberti Pii Belgarum Principis, & alia nonnulla.

27. 1607. Joannes Wiringus *Campenſis* J. U. Doctor Lovanii, & Præſes collegii S. Annæ. Docuit primùm Philoſophiam in Lilio. Inde factus Decretorum Profeſſor Regius conſcripſit *Commentarium in librum v. Decretalium*.

1653. Stephanus Crachtius *Campenſis* magni Alberti Pighii ex ſorore nepos, per annos 52. fideliſſimus Amſtelodami inter multiplicia pericula operarius & Paſtor.

28. 1714. Daniël Papenbrochius *Flander* Societatis Jeſu ſacerdos, Godefridi Henſchenii in continuatione Bollandi fidelis coädjutor & digniſſimus ſucceſſor. Dum in Sanctorum Vitis ſedulò perveſtigandis laborabat, interceſſit illi peculiare diſſidium cum Carmelitis circa *Eliam*, &c. Contra quos publicavit duos tomos in quarto, quibus titulum fecit: *Carmelitana*. Attribuuntur & ipſi duo tomuli in 12. latino idiomate tersè conſcripti, qui complectuntur propriè *Suffragia*, & vocant, Sanctorum per totum annum, ex-

exhibentque compendium magni operis de Actis S. S.: obiit Antverpiæ in domo profeſſa annos natus 87.

29. 1724. Gaſpar Verhoſt *Bredanus* celeberrimus medicus, fixum quidem domicilium habens in civitate Bruxellenſi, ſed frequenter evocatus etiam ad longè diſſita loca in morbis Regum ac Principum, quorum nulli voluit umquam, quantacumque offerrentur cum honoribus ſtipendia, fixè adhærere. Sic conſtat eum evocatum fuiſſe ad Aulam Madritenſem in morbo Regis, Londinum in diverſis ægritudinibus Reginæ, &c. &c. Vixit perpetuò cælebs, viris, qui hoc tempore odioſis nominibus traducuntur, intimè amicus.

30. 1655. Jacobus Boonen *Bruxellenſis*, quartus Mechlinienſis Archi-epiſcopus, tam excellenti ingenio præditus, ut Lovanii quintum locum in prima linea obtinuerit annos dumtaxat natus ſedecim. Adeptus deinde Juris Utriusque lauream evaſit mox Mechliniæ tanti nominis cauſarum Patronus, ut ab ipſis Sereniſſimis Belgarum Principibus in ſummi momenti negotiis, licet tam juvenis adhiberetur. Aſt religioſo ejus animo nauſeam cito attulit cauſarum forenſium ſtrepitus. Itaque poſt preces & largas eleëmoſynas de

pii directoris conſilio & ſacris ſtudiis totum ſe dedit, & habitum clericalem aſſumpſit. Quo facto, & canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ eligitur, & Officialis ac Judex Synodalis ab Illuſtriſſimo Hovio conſtituitur, accedente paulò poſt Decanatûs dignitate. Anno 1617. conſecratur Epiſcopus Gandavenſis, & tandem à Belgarum Principibus ſubſtituitur defuncto Archipræſuli Hovio in Sede Archi-epiſcopali Mechlinienſi, quam uſque ad mortem difficillimis temporibus ſanctiſſimè & feliciſſimè rexit. Fuit Regi ſuo fidus, Patriæ ſuæ amans, in cujus neceſſitatibus publicis aliquando plura millia de ſuo contribuit, in pauperes adeo effuſus, ut in eos præter fundationes pias & præter opulenta donaria tenuioribus monaſteriis & congregationibus facta, noſcatur impendiſſe ſepties centena florenorum millia, ſibi ipſi tam ſobrius & modeſtus, ut numquam indueretur byſſino aut ſerico, nulla teneret in domo ſua vaſa vel utenſilia argentea, pauculas fiſcinulas & cochlearia minora ſi excipias, nihil aliud quoque poſſidens quod ſplenderet; fidei orthodoxæ tam eximius cultor, ut Urbanus VIII. in præſentia Legati Hiſpanici & aliorum de eo dixerit: *Etiamſi fides Catholica*

per

peiſ totum Belgium periret, ſolum Archi-epiſcopum Mechlinienſem cum Diæceſi ſua idoneum æſtimo, qui eam reſtituat. Caſtitatis tantus amator, ut ſtatuas, picturas & imagines obſcænas propiis manibus confringens ſæpius igni injecerit; & ut ex aliorum manibus ſine ſtrepitu eriperentur, ſupra tria florenorum millia contulerit; in Deum adeo pius, ut penè quotidie incruentam Deo hoſtiam offerret, & quando non ſacrificabat, ordinariè è manu alterius ſacerdotis S. S. Communionem perciperet. Delectabatur præ cæteris myſteriis meditatione Dominicæ Paſſionis, unde per plures viros pios & doctos juſſit conſcribi tractatus de *Chriſto Patiente*, curans aliquando imprimi in variis linguis *Latina*, *Hiſpanica*, *Gallica* & *Flandrica* in toto octoginta exemplarium millia. Exactiori & tutiori praxi in Sacramentorum adminiſtratione & genuinis S. S. Auguſtini & Thomæ diſcipulis ſic erat & manſit uſque ad obitum addictus, ut ea occaſione per nonnullos accuſatus dura quædam ad tempus coäctus fuerit ſuſtinere.

30. 1639 Ludovicus van Eſpen ſedulus Paſtor in *Erps & Quareb* Diæceſios Mechlinienſis, qui parochianis ſuis graſſante peſtilentia intrepidè & fideliter adſtitit.

Dies.	annus	
30.	1701.	Joannes Adolphus Tonſern J. U. Doctor & Profeſſor Lovanii, vir integer & ſummæ expectationis, ſi diutius vixiſſet.

JULIO.

Dies.	annus	
6.	1628.	CORnelius de Paep *Lovanienſis* J. U. Doctor & juris civilis Antecessor ſeu Profeſſor primarius Lovanii. Reliquit poſt ſe tres filios *Cornelium*, *Leonem* & *Libertum*. Primus Oratorii D. J. Presbyter & J. U. Doctor ac Profeſſor Canonum, deputatus fuit cum Sinnichio Romam: Secundus evaſit tandem Archi-præſes Sanctioris Concilii; & Tertius Abbas Parcenſis.
7.	1686.	Franciſcus vander Vliedt *Mechlinienſis* S. T. L. Eccleſiæ Metropolitanæ Archi-diaconus, & eodem tempore Lector ſeminarii. Obtinuerat Lovanii in Philoſophorum concertatione primatum: in ſtudiis autem ſacris tam feliciter profecerat, ut nodoſiſſimas perplexitates quaſi ſine labore, ſed obvia veritatis luce diſſolveret. Cum tanta facundia, gravitate & unctione, & cum tanto plebis concurſu dicebat è ſuggeſtu, ut ne quidem magna Ædes Rumoldæa caperet medietatem

audi-

auditorum. Verbo vir erat undequaque ſummus, qui brevi annorum ſpatio Paſtoribus vigilantiſſimis impleverat Archi-diæceſim : ſed tantum columen juſtus Dominus Eccleſiæ iſti ſubtraxit in ipſo flore ætatis.

10. 1681. Chriſtianus Lupus *Iprenſis*, ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini S. T. Doctor & Profeſſor in Academia Lovanienſi, doctrina & ſcriptis clariſſimus. Ingens viri hujus eruditio reipublicæ litterariæ innotuit ex quinque voluminibus obſervationum, quas fecit ad Concilia tam Generalia quam Particularia, præter quas obſervationes ſcripſit alia multa, quæ tum ipſe edidit, tum poſt mortem ejus imprimi curavit R. A. P. Wynants ex eodem ordine.

1698. Philippus van Campenhout *Vilvordienſis* S. T. L. ex Profeſſore Lovanienſi, per annos triginta Decanus & Canonicus S. Petri in civitate Inſulenſi ſcientiâ & pietate illuſtris.

1727. Petrus Lobs *Hornanus* S. T. D. & Prothonotarius Apoſtolicus, præclarus ac zeloſus Curatus Harlemenſis.

11. 1614. Gisbertus Maſius S. T. L., quartus Epiſcopus *Sylvæ-Ducenſis*, vir omnibus numeris abſolutus, qui toto Præſulatûs ſui tempore, hoc eſt annis 21. nimirum à Martio 1594. uſque ad Julium

Dies. annus

lium 1614., verbum Dei per ſe populo cum magna gratia & fructu, & indefeſſo zelo ſingulis diebus dominicis & majoribus anni feſtivitatibus annuntiavit, multos abuſus reformavit, plurima ſalutaria ſtatuit, & Parochiales Eccleſias eruditis Rectoribus exornavit.

13. 1621. Sereniſſimus Belgarum Princeps Archidux *Albertus Pius*, cujus memoria apud Belgas æternùm erit gratiſſima, & cujus laudes ac præclara facinora plures viri maximi ſunt proſecuti.

15. 1731. Theodorus Doncker *Goudanus* Illuſtriſſimo Archi-epiſcopo Sebaſteno quondam à ſecretis & itineris ejus Romani comes; dein Amſtelodami egregius Paſtor, electus Harlemenſium Epiſcopus.

17. 1655. Joannes Caterus *Antverpienſis* S. T. L. Paſtor Alcmariæ & Canonicus ac Archi-presbyter Harlemenſis, inſignis Theologus & magnus Philoſophus ipſi Renato Carteſio Egmondæ habitanti (contra quem omnium primus Caterus calamum ſtrinxit) in honore & deliciis. Aſſeruit fortiſſimè jura Capituli & Cleri Harlemenſis.

18. 1610. Adalbertus Eggius *Amſtelodamenſis* S. T. L. Epiſcopatûs Harlemenſis Vicarius Generalis, vir ſanctus, laborioſus, prudens & impavidus. Anno 1602.

1602. ipsâ dominicâ Paſſionis in urbe patria capitur, & uſque ad feriam tertiam Paſchatis captivus detinetur, quando pedibus ferro conſtrictus abducitur Hagam-comitis, ubi triginta menſium carcerem ſuſtinet. In carcere conſtitutus vertit in idioma vernaculum *Confeſſiones S. Auguſtini.* Anno 1604. die 3. Septembris mulctatur exilio, & Coloniam proficiſcitur, ubi beatus exul ad columen Eccleſiæ Batavæ ſuſcipit moderamen ſeminarii theologorum, ad cujus erectionem jam ante ex ampliſſimo patrimonio ædes coëmerat & adornaverat.

18. | 1705 | Maria Drué, humilis & exemplaris Abbatiſſa de Cortenberg paupertatis religioſæ cultrix eximia, & pauperum altrix liberaliſſima.

1718. | Guilielmus Willemans *Mechlinienſis*, Oratorii D. J. Presbyter, Paſtor Oſtendanus & tractûs Aldenburgici Archi-presbyter, vir eruditus & latini ſermonis excellenter peritus, qui pro libertate & veteri doctrina ſuæ Congregationis per litteras ad Rectores Oratorii ſcriptas uſque ad extremum halitum ſtrenuè decertavit. Extat ab ipſo ſcriptiuncula elegantiſſimo ſtylo latinè exarata cum titulo: *Brevis Diſcuſſio exemptionis ab Ordinario, quam Aſſeſſores quidam Admiralitatis præten-*

Dies.	Mortis annus	
		tendunt in urbe Oſtendana pro manutenendo jure paſtorali in eadem urbe.
19.	1639.	Joanna de Cambry *Tornacenſis*, religioſa Ordinis S. Auguſtini, ingenioſa & erudita puella, quæ plura emiſit in lucem ſermone vernaculo; inter illa: *La ruine de l'amour propre.* Item *Bâtiment de l'amour divin.*
24.	1636.	Jacobus Tirinus *Antverpienſis*, Societatis Jeſu ſacerdos. Edidit inter cætera Commentarios non ignobiles in totam S. Scripturam
	1710.	Joannes Ooms *Gelenſis* S. T. L., docuit primùm Gandavi S. Theologiam in ſeminario. Inde factus Eccleſiæ Cathedralis Gandenſis Plebanus, eligitur tandem in eadem eccleſia Canonicus Graduatus, quo in gradu poſitus totis viribus adlaboravit, ut digniſſimi promoverentur.
	1736.	Jacobus Warlet *Arduennas*, primus Regens gymnaſii Menennenſis, & inde Canonicus ad S. Amatum Duaci, vir pius & doctus, author octo elaboratiſſimarum Epiſtolarum occaſione Bullæ UNIGENITUS ſcriptarum ad Illuſtriſſimum D. Languetium tunc Sueſſionum Epiſcopum, ſub hoc titulo: *Lettres d'un Eccleſiaſtique de Flandres à M. l'Evêque de Soiſſons.*
25.	1635.	Petrus Claſenius *Lovanienſis* Juris Utriuſque Doctor in Academia Patria.

Edi-

Edidit tractatum *De Servitutibus.*

25. 1719. Jacobus t'Zullius *Amſtelodamenſis* S. T. L., ex Profeſſore Lovanienſi in urbe patria Paſtor & Canonicus Graduatus Eccleſiæ Harlemenſis, vir doctus, facundus & zeloſus Eccleſiæ ſuæ defenſor. Scripſit varia ſermone vernaculo ſignanter circa jura Eccleſiæ Batavæ, inter quæ eſt brevis tractatus pro Clero iſtius Eccleſiæ, cui titulus: *De Zuivere Suſanna.*

26. 1609. Obertus ſeu Hubertus Gifanius *Buranus Guelder*, J. U. Doctor. Bonis litteris Lovanii & Lutetiæ inſtructus Italiam, Germaniam & varias alias regiones luſtravit ubique ob linguarum peritiam & profundiſſimam Juris Hiſtoriæque notitiam in deliciis habitus; at à graſſantibus contra fidem erroribus non ſat alienus. Tandem abjurata omni hæreſi factus eſt Cæſari Rudolpho à conſiliis. Scripſit *Indicem Hiſtoricum rerum Romanarum.* Item *Æconomiam Juris*: Item *Notas in Corpus Juris Civilis*: Item *Explanationem difficiliorum Legum Cod.* & alia plurima.

28. 1625. Petrus Peckius *Lovanienſis*, Petri J. U. Doctoris, Parlamenti Mechlinienſis Conſiliarii, ſcriptoriſque clariſſimi filius, & ipſe linguæ græcæ latinæque ac Juriſprudentiæ cognitione ex-

cellens, tantis inſuper & tot naturæ dotibus exornatus, ut tandem Brabantiæ Cancellarius & ſummus Caſtrenſium cauſarum judex ſit creatus, quinquies in vita ſua ad Matthiam Cæſarem, ad Henricum IV. Galliæ Regem, & ad Ordines Fœderati Belgii cum ingenti laude ac nominis ſui celebritate, obita legatione, mirantibus exteris viri eloquentiam, fidem, integritatem, atque induſtriam. Atque inter tanta Reipublicæ negotia ſolebat Peckius non rarò ad amatas à pueritia muſas recurrere. Unde luſit felici vena *Votum pro ſtudiis Humanitatis*, quod typis evulgavit in 4. Antverpiæ Trognæſius.

30. 1625 Jacobus Janſonius *Amſtelodamenſis* S. T. Doctor Lovanii & Regius S. Scripturæ Profeſſor, collegii pontificii Præſes atque ad D. Petrum Decanus, doctrinæ vitæque ſanctimoniâ clarus. Scripſit *Inſtructionem Catholici Eccleſiaſtæ*; item, *In Sacræ Miſſæ Canonem*; item, *Commentarium in Cantica Canticorum*; item, *Commentarium & expoſitionem paraphraſticam in Pſalmos Davidicos*; item, *Enarrationem in Prophetam Job*; item, *Vitam coccineam*, ſive *Enarrationem Paſſionis Dominicæ*; item, *Orationem* duplicem, alteram *in obitum & laudem Henrici Gravii* S. T. D., alteram *in funere*

Mat-

Matthiæ Hovii Archi-epiſcopi Mechlinienſis; item, *Expoſitionem in Evangelium S. Joannis*, quæ à morte authoris prodiit.

30. 1656. Petrus Halloix *Leodius* Jeſuita. Scripſit *Illuſtrium Eccleſiæ Orientalis Scriptorum, qui ſecundo & tertio Chriſti ſæculo floruerunt, vitas & documenta*; item, *Vitam Origenis & defenſionem dogmatum ejus.* Publicavit & ex idiomate Italico *Vitam P. Camilli de Tellis fundatoris Clericorum Regularium infirmis miniſtrantium.*

1689. Franciſcus Farvaques *Inſulenſis*, ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini in Academia Lovanienſi celebris S. T. Doctor & S. Facultatis Regens. Scripſit multa de *Contritione* & aliis materiis theologicis, quæ ſimul typis edita ſunt duobus tomis in 8. cum titulo: *Opuſcula Farvaques*, & apud doctos in pretio ſunt.

1704. Guilielmus Marcellus Claes *Gelenſis*, in Academia Lovanienſis S. T. Doctor eximius & collegii Malderiani Præſes ac reſtaurator. Quæ & quanta ab hoc viro fuiſſent ſperanda, niſi in primo flore rapuiſſet eum Dominus, teſtatur inter cæteras lucubrationes ejus *Ethica*, quam novimus ſummis viris plurimùm placuiſſe.

31. 1621. Jacobus van Haecht *Lovanienſis* J.

U. Doctor & Canonum Profeſſor ordinarius, vir doctus & magnis naturæ dotibus præditus. Hinc à Sereniſſimis Belgii Principibus conſtituitur primùm Concilii Provincialis Namurcenſis & poſt breve intervallum Supremæ Curiæ Brabantinæ Senator. Aſt raro exemplo rediit poſtliminiò Lovanium à Senatu Populoque ſuæ civitatis electus ad primariam Juris Canonici cathedram, annuentibus Sereniſſimo Principe Alberto & Brabantiæ Ordinibus Senatoriæ dignitatis titulum atque ſalarium.

31. 1648. Benedictus Haeftenius *Ultrajectinus*, Præpoſitus Abbatiæ Afflighemienſis, candore, modeſtia, eruditione & ſcriptis clariſſimus, ſub quo per Archipræſulem Mechlinienſem Jacobum Boonen dictæ Abbatiæ Prælatum, anno 1628. introducta eſt inſignis reformatio, qua occaſione Cornelius Janſenius Academiæ Lovanienſis Doctor Theologus in monaſterio ipſa die acceptatæ reformationis habuit orationem illam latinam *De interioris hominis Reformatione*, toto orbe litterato celeberrimam, cujus uberior mentio fit ante ad 6. diem Maii. Porrò inter ſcripta Haeftenii, quæ penè omnia aſcetica ſunt, non infimum locum obtinet *Schola cordis*, *ſive averſi à Deo*

Deo cordis ad eumdem reductio & inſtructio, uti & *Venatio ſacra*, & *Regia via Crucis.*

31. | 1677. Joannes Vernimmen *Winoci-Bergenſis* J. V. L. Oratorii D. J. Presbyter, miſericordiâ in pauperes, indefatigabili zelo in cura animarum, & horrendis perſecutionibus, quas à malevolis ſuſtinuit, tota urbe Bruxellenſi, imò toto Belgio notiſſimus. Vertit varios libros & tractatus in Idioma vernaculum, & pios quosdam libellos ipſe conſcripſit & edidit, inter quos: *Maniere om Chriſtelijk te leeven voor die in den werelijken ſtaet zijn.* &c.

AUGUSTO.

1. | 1600. JAcobus Bourgeſius *Duacenſis*, vir pius & doctus, Ordinis S.S. Trinitatis & Redemptionis Captivorum Provincialis: inter ſcripta ejus plurima recenſentur: *Inſtitutio & fundatio Ordinis S. S. Trinitatis. Regula & Statuta Ordinis*: item *Forma Reformationis ad præſcriptum S. Concilii Tridentini*: item *Harmonia Cytharæ Daviditæ*: item *Miracula illuſtriora S.S. Euchariſtiæ ex antiquis Scriptoribus & Patribus collecta.* Item, *Promptuarium Orationum ad Sanctos.* Item, *Mo-*

Meditationes in Pſalmos Horarum Canonicarum. &c.

1. 1602. Jacobus Sluperius *Harzelenſis* Flander, Sacerdos & Poëta non ignobilis, multa pro fide catholica paſſus, bonis exutus & ſede patria pulſus. Scripſit *Poëmata*, *Hymnos*, *Eclogas*, *Luſus Paſtorales*, *Epiſtolas*, & alia Sacra, ſimul Antverpiæ impreſſa; item, *Elogia virorum Bellica laude illuſtrium.*

1706. Franciſcus Picquerii *Montenſis*, Oratorii D. J. in Walonia Præpoſitus, vir pius & doctus multa ab hoſtibus ſuæ Congregrationis perpeſſus ſignanter in acerba illa perſecutione anno 1690. & ſequentibus mota.

1719. Henricus à S. Ignatio *Athenſis*, doctiſſimus Carmelita, Ordinis Carmelitani ter Provincialis, & multis annis S. Theologiæ Profeſſor. Scripſit inter alia celeberrimam theologiam tribus tomis in folio, cui titulus: *Theologia Sanctorum*: item librum cum titulo: *Gratiæ per ſe efficacis, ſive Auguſtiniano-thomiſticæ adverſus injuſtam Janſeniſmi accuſationem juſta Defenſio.* Item aliud Opus ter vel ſæpius ab auctore reviſum & auctum: *Tuba magna mirum clangens ſonum de neceſſitate longè maxima reformandi Societatem Jeſu*, quod ſub nomine Liberii Candidi ſummo Pontifici, Cæſari, Regibus,

Digitized by Google

bus, Orbique univerſo inſcripſit. Obiit in monaſterio ſuo Chavienſi vulgò à la Cave prope Leodium nonagenarius.

3. 1666. Philippus Vernimmen *Winoci-Bergenſis* S. T. L., primus ex Oratorio D. J. Paſtor Oſtendanus, qui dum ferventi zelo ovibus ſuis peſte infectis diu noctuque aſſiſtit, pro iiſdem cum *omnibus* coöperariis ſuis animam contracto contagio poſuit.

1720. Joannes Libertus Hennebel *Wavrienſis* in Acadamia Lovanienſi S. T. celebris Doctor, qui anno 1692. Romam miſſus coram S. Sede cauſam Academicorum aliorumque Theologorum Belgarum, qui ſub titulo *Janſeniſmi*, *Rigoriſmi* vel *Novitatis* à nonnullis traducuntur, ſat feliciter egit ſub Innocentio XII., eidemque 10. Septembri 1700. Româ diſceſſurus inſignem declarationem circa Articulos doctrinæ in Belgio controverſæ exhibuit, quam declarationem 21. Februarii 1701. cum ipſo ſex alii Doctores theologi tam ſuo quàm plurium aliorum Doctorum ab Academia Grudia tunc abſentium nomine coram Magnifico Domino Rectore & Deputatis Univerſitatis ſolemniter approbarunt. Scripſit Hennebellus ſeptem *Tractatus Hiſtorico-Theologicos* ſub ti-

tulo Theſium circa doctrinam Lovanienſium de Gratia. Item ſub eodem titulo *Tractatum de Sacerdote lapſo*, & *Apologiam ejuſdem Tractatûs*. Item *Syſthema Pœnitentie* continens regulas circa manifeſtationem complicis, circa denuntiationes, circa ſigillum confeſſionis, &c.

3. 1726. Ambroſius vanden Boſch *Mechlinienſis*, zeloſus Paſtor in Geſtel Diæceſios Antverpienſis & tractûs Lyrani Archi-presbyter. Præter conciones & catecheſes, quas diebus dominicis & feſtivis numquàm intermiſit, frequentiſſimè etiam diebus feriatis poſt Sacrificium, quotidie verò in publica oratione veſpertina præſentes affectuoſa exhortatione excitabat ad amorem cæleſtium, quod exercitium publicæ orationis veſpertinæ ut in eccleſia Geſtellana perenniter perſeveraret, ex modico, quod ſuperfuit, ſucceſſoribus ſuis honorarium annuum teſtamento legavit. Singularis erat ei cura pauperum, debilium & parvulorum, quos omnes, quantùm fieri poterat, cunctis morientibus volebat ſecum aſſiſtere. Peculiariter quoque cordi habuit decorem ac nitorem domûs Dei, in qua nullus audebat phlegmata exſcreare, donato ad id præcavendum ſingulis pauperibus ſtrophiolo, in quod pituitam ejicerent. In-

4. 1671. Ignatius Gillemans S. T. L., doctus Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Gandavenſis & unus inter zeloſſimos Vicarios Generales Sede Epiſcopali vacante. Fuit olim cum Eximio Doctore Rechtio delegatus Madritum. Vide ad 11. Octobris.

5. 1696. Joannes Linderborn *Daventrienſis*, Paſtor ad S. Nicolaum Ultrajecti, vir ſerius, ſobrius, eruditus & abjectè de ſe ſentiens. Scripſit multa, inter quæ primùm opuſculum eſt *Schala Jacob* linguâ vernaculâ virginibus, quas magno numero dirigebat, inſcriptum, quod nonnullis Regularibus diſplicuit, unde & Romam ad illud à cenſura vindicandum profectus fuit, ubi vir antiquæ ſimplicitatis & candoris minus gratus erat Aulæ iſtius Proceribus, & tamen ſcopum ſuum obtinuit ea lege, ut in editione latina, ſi qua prælo daretur, explanationem quamdam adjungeret, quo ſucceſſu lætus in primo colle extra Urbis mænia in genua provolutus Deo gratias egit, quod à gente genii non ſui liber ad propria remearet. Scripſit & latino ſermone *Hiſtoriam ſeu notitiam Epiſcopatûs Daventrienſis*, ubi inter cætera multa rara de Congregatione Windeſemenſi, &c. Item *de Sacramentis*. Item tribus libellis expoſuit *Domi-*

Digitized by Google

nicam Paſſionem; primus libellus exhibet Chriſtum *paſſum*, ſecundus Chriſtum *mortuum*, tertius Chriſtum *ſepultum*. Fuit autem Linderbornius excellens & induſtrius catechiſta. Ob quæ omnia merita & Aſſeſſor ſeu Canonicus Capituli Ultrajectini & Provicarius Diæceſis Daventrienſis fuit conſtitutus.

5. 1719. Petrus van Ginderdeuren Ordinis Præmonſtratenſis Antverpiæ Canonicus, ibidem & Prior & S. Theologiæ quondam Profeſſor, doctrinæ Auguſtino-thomiſticæ æmulator inſignis, propagator ſtrenuus & defenſor indefeſſus.

6. 1602. Pontus Hueterus *Delphius*, Canonicus Gorcomienſis, vir exquiſitè & variè doctus. Inter Heuteri lucubrationes ſunt 1. *De veteri ac ſui ſæculi Belgio*, libri duo. 2. *Monetæ veterum ac ſui ſæculi Analogica comparatio.* 3. *De Menſuris longitudinum veterum* in faciendis itineribus. 4. *De libera hominis nativitate* ſeu *de liberis naturalibus*. 5. *De rebus geſtis Ducum ac Comitum Utriusque Burgundiæ cum genealogiis eorum*, libri ſex. 6. *Rerum Belgicarum* libri xv. 7. *De Orthographia Belgica*. 8. *Hiſtoriola rythmica de martyribus Gorcomienſibus*. 9 *De vetuſtate & nobilitate familiæ Habſpurgicæ*; præter quæ om-

omnia variis locis edita ſervatur Bruxellis in Camera ſeu archivo Finantiarum tomus tertius *Rerum Belgicarum ac Burgundicarum.* Cæterùm deceſſit Pontus Heuterus Trudonopoli ibidem canonicatu donatus, glórioſiori morti anno 1572. menſe Julio proximus inter martyres Gorcomienſes, à quorum ſancta ſocietate poſt carceres, vincula, famem & verbera diu exanthlata metu mortis miserè defecit non ſine abjurati Catholiciſmi ſuſpicione: rediit tamen ad ſinum Eccleſiæ, in quo usque ad morten perſeveravit.

6. 1629. Dionyſius Chriſtophori *Antverpienſis* S. T. L. Prima viri ſtatio fuit in plebanatu ſeu Paſtoratu Thurnoltano. Exinde poſt alia munia condignè obita evehitur tandem à ſereniſſima infante Iſabella ad Cathedram Brugenſem, quam uſque ad mortem per ſex annos & tres menſes laudatiſſimè tenuit. Præter cæteras virtutes emicuit in hoc præſule amor ac cura pauperum & captivorum. Unde nummis omnibus erogatis juſſit è muris aulæ ſuæ epiſcopalis detrahi ac divendi tapetes ſeu periſtromata, quod cùm intelligeret à nonnullis non omninò probari, dicebat: *Parietes mei non frigent, pauperes verò & captivi frigore divexantur.*

1639. Guilielmus Mercerus *Athenſis*, ex

Phlioſophiæ Profeſſore primùm Porcenſi, ac deinde Falconenſi S. T. Doctor & Profeſſor Regius, collegiatæ S. Petri Decanus & collegii pontificii apud Grudios Præſes. Ex prælectionibus ſuis in Summam S. Thomæ edidit opus in folio cum applauſu exceptum *de Sacramentis*, *irregularitate*, *indulgentiis*, *purgatorio & extremo judicio*.

6. 1701. Henricus de Charneux *Viſetenſis* S. T. Doctor, ſtrictæ facultatis Profeſſor Regens & collegii Leodici in Academiâ Lovanienſi pius ac vigilans Præſes, vir ſanioris doctrinæ & pacis Academicæ amans perpetuuſquæ theologorum ad ſedulam S.S. Litterarum lectionem adhortator.

1717. Nicolaus Franciſcus Heylewegen *Gandenſis*, J. U. L. Cathedralis Eccleſiæ S.S. Joannis & Bavonis Canonicus Graduatus, vir laborioſus ac pius, Sanctimonialium B. Barbaræ nec non pauperum puellarum nentium pacificus director.

8. 1682. Adrianus Oudheuſden *Gorcomienſis*, J. U. L., eccleſiæ per Bernardum Hoogwervium Rotterodami erectæ adminiſtrator & tamquam Begginaſii Paſtor per Illuſtriſſimum Rovenium conſtitutus, quæ ſtatio hodie vocatur *Paſtoratus Paradiſi*: fuit autem Oudheuſ-

Dies.	*annus*	
		heusdius, etſi Jurium Licentiatus, doctrina theologica inſigniter imbutus.
9.	1709.	Joannes Cornelius Claeſſens *Sichemius*, S. T. L. Paſtor majoris Begginaſii Lovanienſis, qui virgines iſtius loci cum ferventi zelo uſque ad decrepitam ætatem & uſque ad mortem ſanctiſſimè inſtituit & gubernavit.
17.	1636.	Matthias Eſtrix *Bruxellenſis*, Archipræſulis Hovii ex ſorore nepos, qui deſerto paſtoratu Aſcano Congregationem Oratorii D. J. recenter apud Belgas inſtitutam ingreſſus conſtitutionum obſervantia, obedientia, humilitate cæteriſque virtutibus uſque ad obitum cunctis præluxit.
	1678.	Antonius vander Plaet *Lugduno-Batavus*, S. T. L. Oratorii D. J. Presbyter, Paſtor in Aäde, Archi-presbyter Leidenſis & Rhenolandiæ, Vicariatûs Ultrajectini Aſſeſſor ſeu Canonicus & Secretarius. Erat quidem Theologus Colonienſis, ſed aliquantùm moratus in Oratorio Lovanienſi contraxit etiam amicitiam cum Doctoribus Fromondo, Sinnichio &c. Mira ſunt, quæ fecit & quæ paſſus eſt. Plures devios adduxit ad fidem orthodoxam, inter quos numeratur celebris ſutor Laurentius, opifex quidem, ſed linguam græcam hebraïcamque inſigniter cal-

Digitized by Google

callens, qui etiam converſus qua verbo qua ſcripto catholicam fidem propugnavit. At maximè enituit Antonii charitas anno 1635., quando peſte infectis die ac nocte fideliſſimè adſtitit.

18. 1634. Jacobus Bruneau *Gandenſis*, Eques auratus, præclarus cameræ rationum Inſulis in Belgio Præſes, legationibus ad Angliæ Regem, & Ferdinandum III. Imperatorem à Rege Catholico honoratus.

21. 1733. Adrianus van Sinaï *Mechlinienſis*, pius & exemplaris Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. in civitate patria, qui pluribus annis utiliter & ferventer laboravit in cura animarum Bruxellis ad S. Catherinam ſub Paſtore Vandeneſſio.

22. 1611. Joannes Clarius *Tungrenſis* in alma Univerſitate Lovanienſi S. T. Doctor, qui omnium primus, relicto Magiſtro Sententiarum, Summam Theologicam S. Thomæ Aquinatis anno 1596. cæpit prælegere & in eam commentarios ſcribere ac publicè dictare, qui tamen commentarii typis commiſſi non ſunt.

1614. Ferreolus Locrius *Sampaulinas*, Atrebati ad S. Nicolaum Paræcus, in hiſtoria tum ſacra tum profana apprimè verſatus. Extant plura ejus Opera,

Digitized by Google

ra, inter quæ eminet *Chronicon Belgicum* ab anno Domini 257. uſque ad annum 1600. perductum. Edidit etiam inter cætera *Mariam Auguſtam* ſive deſcriptionem locorum, templorum &c. B. V. Mariæ dicatorum, & contexuit *Hiſtoriam Comitum S. Pauli*, ſeu Toparcharum patriæ ſuæ.

22. 1625. Nicolaus Zoeſius *Amersfortius*, Epiſcopus Sylvæ-ducenſis, antea Joanni Vendivillio laudatiſſimo Tornacenſium Antiſtiti à ſecretis & itineris Romani comes, Canonicus quoque & Officialis Tornacenſis, indeque in magno Belgii Senatu Mechliniæ Conſiliarius. Fundavit Lovanii collegium S. Willebrordi, & ſcripſit *Vitam Joannis Vendivillii Epiſcopi Tornacenſis.*

1720 Hugo Franciſcus Gael *Lugduno-Batavus*, Oratorii D. J. Presbyter, J. U. L., Capituli Ultrajectini Canonicus & librorum cenſor, vir ingenio & judicio valens & humiliter de ſe ſentiens, qui, dimiſſa ſplendidiori cura Rotterodamenſi, maluit apud ſimpliciores homines Roelevaert-venenſes Paſtorem agere.

24. 1602. Guilielmus Gazæus *Arthesius*, Canonicus Aërienſis & Paſtor S. M. Magdalenæ Atrebati, vir in Hiſtoria Eccleſiaſtica præſertim Belgii verſatiſſi-

Digitized by Google

mus. Scripſit plurima, inter quæ primaria videntur 1. *Hiſtoria Eccleſiaſtica Belgii*, quam tamen morte præventus ipſe non edidit. 2. *Bibliotheca ſacra Belgica Theologorum*, *Canoniſtarum*, *Scholaſticorum*, &c. 3. *Tabulæ ſacræ Galliæ-Belgicæ*, ſive ſeries Episcoporum, ac Sanctorum Belgii. 4. *Catalogus Epiſcoporum*, *Atrebatenſium & Cameracenſium* cum brevi rerum ab ipſis geſtarum hiſtoria, quibus addi poteſt *Hiſtoria ſacræ lanæ*, item *Hiſtoria Cerei Atrebatenſis.*

24. 1690. Bartholomæus Paſmans *Moſæ-trajectinus* S.T. Doctor Lovanii & Præſes collegii Atrebatenſis vigilantiſſimus, antea Reverendiſſimo Domino *Gottisnies* Epiſcopo Ruremundenſi à ſecretis & à conſiliis. Erudiebat collegii ſui theologos non ſolùm per ſalutaria monita, quæ ipſis identidem promebat, verùm etiam per exempla & inſignia facta, Paſtoribus aſſiſtens concionando, animas dirigendo, &c. Expoſuit quoque vir eruditus luci publicæ complures tractatus de variis morum argumentis ſub titulo *Theſium*, quos ſeduli Paſtores magnis laudibus extollunt & omnes requirunt. V. G. *De jejunio*, *de popinis*, *de tripudiis*, *de ſanctificatione dominicæ & feſtorum* &c.

Leo-

Digitized by Google

25. 1738. Leonardus Ignatius Thiſius *Moſæ-Trajectinus*. Abſoluto apud Grudios Sacræ Theologiæ ſub directione celebris Doctoris Huygenii, cui in collegio Pontificio cohabitabat, curriculo, ejuſdem inductu ſacerdotio initiatus & juventutis Academicæ, cujus directioni luminoſa ſua charitate plurimùm congruebat, confeſſionibus excipiendis admotus eſt. Poſt aliquot annos in patriam reverſus decrevit impoſterum ſoli Deo ſe dare, ducens vitam planè abſconditam & totum tempus tranſigens orando, Divinas Litteras ruminando & pauperes eleëmoſynis ac ſanctis inſtructionibus adjuvando. Jam octogenario major cæpit vexari ſuper Bulla UNIGENITUS, quam cùm recuſaret admittere, denegata eſt ei ipſa Paſchalis Communio. Itaque anno 1732. ætatis ſuæ 85. recepit ſe Amisfurtum ad ſeminarium Archi-epiſcopale, ubi juventuti mirificè præluxit. Nihil hoc viro humilius, nihil ſimplicius. Surgebat diluculò; orabat à mane uſque ad veſperam. Jejunabat præſcriptis ab Eccleſia diebus penè ultra vires. Volvebat ſacras paginas ſedulò. Avidiſſimus ſemper ad audiendum aliquid pii ſtabat venerabilis ſenex inter parvulos reverenter ac attentè excipiens omnes catechiſticas in-

 ſtructio-

Digitized by Google

ſtructiones: & poſt hæc omnia arbitrabatur, ſe nihil boni præſtare, idcirco nonnihil metuens mortem & judicium Dei. At placuit adorandæ providentiæ ita finem ejus ordinare, ut placidiſſimè obdormiret in Domino ingreſſus annum ætatis 92.

26. 1631. Jacobus Bolius *Ultrajectinus* S. T. D. Canonicus in urbe patria ad B. Mariam & Paſtor S. Mariæ majoris ſeu civilis, collegii Colonienſis Proviſor nec non totius Archi-diœceſios à Sasboldo conſtitutus unà cum Wachtelario Vicarius Generalis, vir laborioſus, fidelis, & acerrimus cleri defenſor, ſignanter dum anno 1613. idem clerus à nonnullis Regularibus per impactas calumnias impeteretur.

1673. Joannes ab Heumen *Ultrajectinus* S. T. L. Capituli Ultrajectini Decanus Archi-presbyter & Paſtor Rotterodami, vir doctus & indefatigabilis, qui contagio Rotterodami graſſante, peſte affectos intrepidè viſitavit & Sacramentis recreavit. Extant ab ipſo evulgati libri ſequentes 1. *Mortalis Adam.* 2. *Joſeph ſomnians.* 3. *Joſeph accreſcens.* Aſſervatur & apud quosdam liber ejus manu conſcriptus de *Matrimonio Catholici cum Acatholica.*

1728. Petrus Jaille *Gandenſis*, pius & vigilans Paſtor in Ooſelghem Epiſcopatûs

tûs Gandavenſis pago, ſuſpenſionem à functionibus ſuis & alia paſſus ob recuſatam acceptationem Conſtitutionis UNIGENITUS. In eo ſtatu patienter ac humiliter perſeveravit usque ad mortem, interim indeſinenter pro grege ſuo preces ſuas Deo offerens, & pauperes aſſertis ei per Cæſarem paſtoratûs proventibus liberaliter paſcens.

28. 1611 Philippus Rubenius Coloniæ quidem in generali illa Brabantiæ calamitate ac perturbatione natus, ſed à S. P. Q. Antverpienſi Brabantus & civis Antverpienſis declaratus & electus civitati ſuæ à ſecretis. Quadriennium exegerat in Juſti Lipſii familia apud Grudios, menſæ, ſermonis & diſciplinæ ejus particeps ac filii loco apud Lipſium habitus. Deinde Roman cum Joannis Richardoti Belgii Præſidis filio migrarat, ubi juriſconſulti titulum eſt adeptus. Fuit *Rubenio* ingenium liberale & ad optima natum, judicium purum, ſtylus diſertus. Ex Italia reducem optabat Lipſius in docendi munere eum habere ſucceſſorem; at Lovanii detineri non potuit. Obiit præpropere annos dumtaxat natus 38., fratrem relinquens unicum, de quo ad 30. Maii. Scripſit *Electorum libros duos*, in quibus ritus & cenſuræ,

Item *Poëmata varia*, quod opus Lipſio dedicavit. Item *B. Aſterii Amaſeæ Epiſcopi Homilias* latinas fecit, &c.

28. 1724. Jacobus Vercouwen *Antverpienſis*, celeberrimus per annos ferè quadraginta ſeptem (recuſatis etiam pinguibus paſtoratibus) Vice-Paſtor ad S. Catharinam Bruxellis, cujus memoria apud parochianos in benedictione eſt. Vice-Paſtorem illum hactenus deprædicant gratiſſimi ſonitûs campanæ, pulcherrima ſacriſtia, nova confeſſionalia, altarium & miniſtrorum exquiſita ornamenta, & omnis (qui ipſius curæ potiſſimùm adſcribendus) apparatus templi materialis. Summa autem ejus ſolicitudo pro ſpiritualibus templis, qui ſunt ipſi fideles, adhuc cum lætitia obverſatur animo ſenum, prædicatur ab adultis, & in cælum tollitur ab egenis.

29. 1707. Joannes Martinus de Hondt *Winoci-Bergenſis* S. T. L. quartus Oratorii D. J. per Provinciam Archi-epiſcopatûs Mechlinienſis Præpoſitus, vir ſagaciſſimi ingenii, diligentiſſimi ſtudii & indefeſſi laboris, plurima paſſus ab hoſtibus Oratorii: aſt de hoc viro multa panduntur in CHRONICO iſtius Congregationis, ad quod lectorem remittimus, quoties de Oratorii Presbyteris

ris in hoc opuſculo fit mentio.

29. 1714. Anna della Faille d'Eſteempuis, nobilis, ingenioſa, docta & inſigniter pia virgo *Bruxellenſis*, liberaliſſima fautrix ſtudioſorum pauperum & virorum pro veritatis vel exactioris diſciplinæ defenſione patientium. Fecit breves & eruditas annotationes in eam partem Catechiſmi Montiſpeſſulani, quam in nova editione anni 1711. ad placandos complures Regni Francici Antiſtites auctor Catechiſmi *Pougetius* circa Janſenii AUGUSTINUM & quinque famoſas Propoſitiones poſt tractatum de Hæreſibus adjecerat, oſtenſæque ſunt anno 1713. ipſi Pougetio, dum per aliquot hebdomadas moratus eſt Bruxellis, iſtæ annotationes manuſcriptæ ad quas ſcitur de adjectione illa erubuiſſe & deploraſſe malignitatem temporis, quo ſcribebat.

30. 1720. Bartholomæus le Grand *Ververienſis*, præclarus Paſtor de Couillet in Diœceſi Leodienſi, mortuus Viennæ in Auſtria, ubi apud Cæſarem cum Servatio Hoffreumontio molimina & vexationes Conſiſtorii Leodici pro introducenda Bulla UNIGENITUS juridicè exponebat.

SEP-

SEPTEMBRI.

4. 1665. JOannes Schaddæus *Ultrajectinus*, olim Lovanii in IV. Pædagogiorum concurſu *Primus* renuntiatus, & exinde Philoſophiæ Profeſſor, S. T. Licentiatus & ad S. T. Doctoratum admiſſus; verùm ante *Actum*, ut vocant, à primoribus cleri in patriam, eximias illic dotes impenſurus, evocatus conſtituitur Delphis ad S. Hypolytum Pastor, Delflandiæ Archi-presbyter & totius Hollandiæ Auſtralis Provicarius. Erat autem *Schaddæus* nemini ſecundus, juris divini & eccleſiaſtici peritiſſimus, ſtudioſorum mecænas liberaliſſimus, & tam ſolida pietate, tam maturo judicio, tamque ſolerti prudentia effulgens, ut tum apud Clerum, tum apud ipſos Regulares & univerſum populum ſumma polleret auctoritate, ideoque Jacobus Archi-præſul Epheſinus eum popoſcerit Suffraganeum: at virum tantum anno ætatis ſuæ 52. lues peſtifera, quam Sacramenta adminiſtrando contraxerat, cum generali omnium luctu Eccleſiæ Batavæ ſubtraxit. Scripſit libellum vernaculum *De methodo confitendi.*

5. 1693. Franciſcus van Vianen *Bruxellenſis*, in Univerſitate Lovanienſi S. T. Doctor

tor ac Profeſſor eximius, & collegii Adriani VI. Pontificis Præſes celeberrimus, de cujus encomiis accipe hæc pauca: 1. Implevit patriam Paſtoribus optimis, qui bonum Chriſti odorem per totum latè Belgium & pietate ſua & zelo ſparſerunt. 2. Ditavit & ornavit Academiam Grudiam tum in collegio pontificio, tum in gymnaſio *S.S. Trinitatis* & alibi largis Burſarum, ut vocant, fundationibus & magnificis ædificiis. 3. Legationem ad Innocentium XI. Pont. Max. non solùm impenſis aliquot è patrimonio ſuo aureorum millibus adjuvit, ſed & ipſe ætate jam gravis inter alios primarius ſuſcepit, apud quem & 65. Propoſitionum theologiæ moralis laxioris condemnationem obtinuit, & Scholæ Lovanienſis de Prædeſtinatione & Gratia doctrinam ab adverſariorum calumniis vindicavit. 4. Pſeudo-axioma probabiliſtarum, *Quidquid eſt ſpeculativè probabile, eſt practicè certum*, quod in Schola Lovanienſi jam pridem invaleſcere cæperat, ipſe primus per publicam theſim oppugnavit, & eliminavit, tutioremque de Pœnitentia ſententiam reſuſcitavit. 5. Scripſit ſolidiſſimum tractatum de Gratia Chriſti, quem tamen typis non evulgavit. 6. Edidit præclarum opus

De ordine Amoris ab eminentiſſimo Cardinali BONA unà cum memorato tractatu de Gratia laudatum & probatum. Fratrem habuit Matthæum van Vianen S. T. L. ejuſdem mentis & genii, anno 1644. in generali Philoſophorum concurſu ſecundo loco promotum, ſicut ipſe Franciſcus anno 1632. obtinuerat locum quartum, qui Matthæus ſcripſit brevem quidem, ſed excellentem tractatum, cui titulus: *Juris naturalis ignorantiæ notitia ex S.S. Litteris deprompta*, impreſſum Lovanii typis Lipſianis anno 1666.

6. 1652. Philippus Allegambe *Bruxellenſis*, Societatis Jeſu ſacerdos, cui hæc laus debetur, quòd cum accuratione ſcripſerit & anno 1643. ediderit Bibliothecam ſeu Catalogum Scriptorum ſui Sodalitii, id quòd anno 1608. primus fecerat vir venerabilis Petrus Ribadeneira.

1718. Laurentius Peeters *Lovanienſis*, in civitate & Academia patria Medicinæ Doctor & Profeſſor primarius, vir veritatis & exactioris diſciplinæ amantiſſimus, qui factus viduus & clericus geſſit aliquando cum laude ſupremum Academiæ Magiſtratum Rector Magnificus. Fuerat olim celebri Plempio in deliciis. Scripſit & edidit tractatum *De febribus*.

Lu-

7. 1734. Lucas Ahuys *Amſtelodamenſis*, doctus & facundus in urbe patria Paſtor, qui etiam idiomate vernaculo tum ligata tum ſoluta oratione eleganter ſcribebat, extantque utriuſque generis complura argumenta. Inter cætera longa epiſtola anno 1711. ad Simonem Coetenburgium Begginaſii Amſtelodamenſis Curatum ſcripta, dum is ab antiquis amicis ſuis defecerat, & *Planctus in obitum Ampliſſimi ac eximii Viri Martini de Swaen*, & aliorum.

9. 1636. Joannes Buggæus *Delphenſis*, S. T. L. Eccleſiæ Harlemenſis Canonicus, Pœnitentiarius & Scholaſter, Capituli ſui protector zeloſiſſimus, fidei catholicæ defenſor acerrimus, pater pauperum, operarius indefeſſus. Obiit ex peſtilentia Harlemi graſſante. Compoſuit proprium Opus contra Epiſcopium à Leonardo Mario continuatum. 2. Primus auſpicatus eſt Necrologium Eccleſiæ Harlemenſis, quod uſque ad annum 1636. perduxit. 3. Ordinavit archivum Harlemenſe, legeſque illius Capituli digeſſit. 4. Creditur quoque auctor Catechiſmi, qui circa illa tempora prodiit ſub nomine *Chriſtiani vanden Berg*.

1723. Franciſcus Verſchuren *Gelenſis*, S. T. in Academia Lovanienſi Doctor & collegii Ultrajectini ſeu Alticollenſis

Digitized by Google

Præſes, vir inſigniter pius ac doctus, & zeloſus avitæ doctrinæ vindex, quod probant libri ab ipſo conſcripti, inter quos ſunt *Via arcta cæli. Diſſertatio triplex de adminiſtratione Sacramentorum Pœnitentiæ & S. Eucharistiæ,* Item plures tomi conficientes *Supplementum Obſervationum Doctoris Huygens*, &c.

10. 1636. Joannes Albertus Bannius *Harlemenſis*, J. U. D. Prothonotarius Apoſtolicus, ſacerdos Curatus & Canonicus Graduatus in urbe patria, vir pacificus, vitæ exemplaris, inſignis Mathematicus & excellens muſicus, ut de illo teſtatur Renatus Cartheſius. Scripſit vernaculo idiomate totam *Muſices conſtitutionem* & epiſtolam latinam *De Muſico ſtudio rectè inſtituendo.*

1699. Natalis Chamart *Athenſis*, in Alma Univerſitate Lovanienſi J. U. Doctor ac Profeſſor primùm Juris Civilis ordinarius, deinde Juris Canonici Primarius, vir pietate, humilitate, ſapientia, dono conſilii, & omnium rerum humanarum viginti octo ante obitum annis abdicatione, ut ſoli Deo in ædibus Oratorii viveret, celeberrimus. Advexerat ſecum ad Oratorium inſtructiſſimam ſuam Bibliothecam, ſed & hanc diu ante mortem divendidit,

dit, toto pretio fundandis in collegio Bajano *Burſis*, ut vocant, impenſo, ſicut jam ante fundaverat prope Athum in Gaurin, ubi natus erat, officium parvulos docendi & catechizandi. Acerrimos in concurſu plurium morborum dolores fortiſſimè tulit, ſignificans interdum, dum ab amicis viſeretur, longè acerbiùs ſe affligi per inteſtina Academiæ bella ac vulnera. Ex variis lucubrationibus, quas jam dudum præparaverat, unicum obtineri potuit, quod Hullegardianis typis committi permiſit cum hoc titulo: *Inſtitutiones Juris Civilis ſcripti & non ſcripti*.

10. **1700.** Euſtachius de Froidmont *Eburo*, S. T. L. Eccleſiæ collegiatæ S. Petri Inſulis Flandrorum Canonicus & theſaurarius, à ſpiritu patrui ſui Liberti Fromondi non degener, utpote pietate, ſcientia & zelo pro gloria domûs Dei plurimùm venerabilis.

11. **1799.** Adrianus de Walenburch *Rotterodamenſis*, Epiſcopus Adrianopolitanus & Suffraganeus Colonienſis, vir doctiſſimus, præſertim verò circa controverſa fidei dogmata verſatiſſimus & in iis pertractandis feliciſſimus, quod probant duo craſſa in folio volumina ab ipſo & fratre ejus Petro conſcripta & à ſummis elapſi ſæculi Theo-

Digitized by Google

Dies.	*annus*	
		logis laudata & commendata.
11.	1681.	Godefridus Henſchenius *Geldrienſis*, Societatis Jeſu Presbyter, Bollandi in Vitis Sanctorum enucleandis ac publicandis continuator laborioſiſſimus & inſigniſſimus.
12.	1665.	Joannes Bollandus *Thenenſis*, Jeſuita, vir magnæ eruditionis, ſolidi judicii & laboris indefeſſi. Is primus inchoävit grande Opus *de Vitis Sanctorum*; ſed editis duobus tomis Januarii, tribus Februarii, & ſudante ſub prælo primo tomo Martii ex hac vita eripitur anno ætatis ſuæ 71.
13.	1614.	Samuel Loyaerts *Attenhovius*, prope Thenas, S. T. Doctor Lovanii & Paſtor ad S. Michaëlem, vita probiſſimus, & doctrina eximius. Scripſit *Enodationes Evangeliorum toto anno Dominicis feſtiſque diebus occurrentium*, 4. tomis in 8., quod Opus adeo placuit Gallis, ut mox in 4. excudi curarint Pariſiis.
14.	1679.	Joannes Chryſoſtomus Snyers *Mechlinienſis*, Oratorii D. J. Presbyter & inſulæ Nordſtrandicæ Paſtor, qui in ardua iſta ſtatione ultra duodecim annos indefeſsè laboravit & in optimo Chriſti odore cum magna ſanctitatis opinione diem clauſit extremum.
	1723.	Philippus Wilmart *Lovanienſis*, zeloſiſſimus per annos 38. difficillimis tem-

temporibus Paſtor in Bierbeeck prope Lovanium. Tota vita & converſatio viri loquebatur ſpiritum Chriſti, quo plenus erat. Si quis amicus eum inviſeret, ſolebat ante omnia hunc deducere ad Eccleſiam domui Paſtorali junctam, ut ante venerabile Sacramentum ſimul depoſcerent gratiam ſancti congreſsûs. Signavit cum pluribus collegis ſuis libellum ſupplicem Regi in Concilio Brabantino oblatum pro impedienda exactione Bullæ UNIGENITUS.

16. | 1661. Jacobus de la Torre *Hagæ-comitanus*, Oratorii D. J. Presbyter, qui Rovenii ſeneſcentis conſtitutus Coädjutor cum titulo Archi-epiſcopi Epheſini, eidem 11. Octobris 1651. defuncto plenè ſucceſſit in munus Vicarii Apoſtolici. Ob collatum inter Alcmariam & Schagam Confirmationis Sacramentum fuit ab Ordinibus Hollandiæ Borealis exilio mulctatus. Bis iter Romanum cum Abrahamo Brienio confecit, atque in Urbe de canonizatione Martyrum Gorcomienſium egit, & *jura totius Cleri Batavi* ac *Concordata* fortiſſimè aſſeruit, maximè in ampliſſima iſta *Relatione* ſeu deſcriptione ſtatûs religionis Catholicæ in Confœderatis Belgii Provinciis S. Sedi exhibita, quæ hactenus fideliter aſſervatur.

Ery-

Digitized by Google

Dies. annus

17. 1646. Erycius Puteanus *Venlonenſis*, Mediolano, ubi publicè docebat eloquentiam, in Belgium anno 1607. evocatus declaratur Conſiliarius & Hiſtoriographus Regius, nec non Juſti Lipſii apud Grudios in auditorio Trilingui ſucceſſor. Vixit & docuit Lovanii totos 39. annos: ſcripſit autem plurima, inter quæ ſunt *Inſtitutio Principis. De Nundinis Romanis.* Item, *Pecuniæ Romanæ ratio*, item *de ſtipendio militari apud Romanos.* Item *Pro libertate litterarum.* Item, *Stimulus litterarum.* Item, *de Facilitate linguæ græcæ*, item *Hiſtoria Inſubrica*, item *Hiſtoria Medicæa.* Item, *Liber ſingularis de Obſidione Civitatis Lovanienſis anni* 1635. &c. &c.

1600. Andreas Verhagen *Arſchotanus*, ex Profeſſore politioris litteraturæ apud Grudios, Paſtor Braniæ-Allodii, dignus ſucceſſor celeberrimi Paſtoris Flemalii, cujus veſtigiis cum vigilantia, charitate & patientia verè Paſtorali fideliter inhæſit. Oppoſuit ſe vigoroſè abuſibus, quos poſt longiſſima bella amœnitas & dulcedo pacis Rysvicanæ in vaſtiſſimam Parœciam nitebatur introducere, paſſus ex eo capite contradictiones non modicas.

18. 1728. Petrus Paradanus *Thurnoltanus*, pius, doctus ac ſedulus Abbas Vlier-

ba-

bacenſis notiſſimus per ea, quæ in famoſá illa viſitatione *Apoſtolica* Menſis Julii 1728. ob recuſatas *ſubſcriptionem* Formularii Alexandri VII. juxta Bullam VINEAM DOMINI, & *acceptationem* Conſtitutionis UNIGENITUS perpeſſus eſt. Obiit in Abbatia Gemblacenſi: corpus autem defuncti Vlierbacum curru tranſportatum ſine conſuetis cæremoniis ac ſolemnitatibus profana ſepultura tumulatum eſt. Contra quæ omnia per ſorores totamque defuncti familiam oblatus eſt libellus ſupplex continens accuratam totius tragicæ expeditionis ſeriem in generali Ordinum Brabantiæ congregatione. Edita quoque ſunt ſcripta complura contra latas à Viſitatore Apoſtolico ſententias.

19. 1683. Abraham van Brienen *Ultrajectinus*, S. T. D., fideliſſimus in urbe patria ad S. Gertrudem Paſtor, vir doctus & induſtrius, ideoque & Provicarius conſtitutus. Acerrimè pro cleri juribus decertavit; pro ejuſdem cleri cauſa cum Illuſtriſſimo Torrio bis Romam profectus. Edidit ſub larvato nomine Abrahami vander Mat ſermone vernaculo plures tomos in 8. ſolidarum Meditationum *De Præſentia Dei*, *De Aventu*, *De Paſſione Domini*, *De S.S. Euchariſtia*, &c.

Q Joan-

19. 1704 Joannes Lacman *Tornacenſis*, in alma Univerſitate Lovanienſi S. T. Doctor, Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis Canonicus, Archidiaconus & ſeminarii Archi-epiſcopalis Præſes. Obtinuerat olim in IV. Pædagogiorum concurſu ſecundam primæ lineæ palman. Docens poſtmodùm in Pædagogio *Falconis* Philoſophiam, id præ cæteris illius ſcientiæ Profeſſoribus præſtitit, quod lectionibus Philoſophicis lectionem *Ethices* adjungeret, ut ſterilis ſapientiæ ſtudium ſuavioribus doctrinæ Chriſtianæ fluentis irrigaret. Rexit vigilantiſſimè ſeminarium annis viginti quinque & ſupra, toto illo tempore vix umquam ex urbe egreſſus, è ſeminario quoque raró pedem efferre ſolitus, niſi id poſtularet officii neceſſitas vel proximi utilitas. Edidit binos libellos eruditione & unctione Chriſti refertos, omniumque bonorum applauſu comprobatos: *Penſées Chreſtiennes.* Evulgavit & in forma magnæ theſios Tractatum *De Relatione operum in Deum*, cui titulus: *Concertatio triplex de mente S. Thomæ Aquinatis.*

20. 1613. Guilielmus Eſtius *Gorcomienſis*, ſanctitate vitæ & ſcriptis ſuis præſertim in Scripturam S. tota Eccleſia Catholica celeberrimus, qui à ſumpta Lovanii

anno

anno 1580. Doctorali Laurea mox Duacum accitus, grande novæ iſtius Academiæ lumen & columen extitit. Inter Opera ejus complura numerantur. 1. *Recenſio IX. tomi Operum D. Auguſtini:* nam antequam Lovanio abſcederet, operam ſuam contulit in caſtigatiori illa editione Operum dicti S. Patris ſtudio Theologorum Lovanienſium facta, & quidem tomum IX. ipſe ſolus è manuſcriptis recenſuit. 2. *Commentarius abſolutiſſimus in omnes D. Pauli Epiſtolas* cum auctario *in Epiſtolas S. Joannes.* 3. *Annotationes in præcipua ac difficiliora S. Scripturæ loca.* 4. *Elaboratiſſimi Commentarii in* IV. *libros Petri Lombardi, ſeu* Magiſtri Sententiarum. 5. *Orationes theologicæ novemdecim.* 6. *Celebris Cenſura Duacenſis* de mandato totius Facultatis Sacræ 20. Januarii 1588. edita. 7. *Hiſtoria Martyrum Gorcomienſium* IV. *libris comprehenſa,* quibus addenda Hiſtoria, quam etiam ipſe conſcripſit, Martyrii Cornelii Muſii, Guilielmi Goudani, Edmundi Campiani, &c. &c.

20. 1635. Reinerus Mercator S. T. L. Paſtor Leidenſis, Rhenolandiæ Archi-presbyter & Canonicus Capituli Ultrajectini, vir deſideriorum & precum, eruditiſſimus & ſignanter in S. Auguſti-

no verſatiſſimus. In Paſtoratu pauperrimè vixit, ſua omnia & ſe ipſum ovibus impendens, pro quibus per continuam (graſſante lue epidemica) Sacramentorum adminiſtrationem contracto contagio tandem animam poſuit. Scripſit nonnulla contra ſectarios, inter quæ eſt opuſculum latinum: *Examen veri catholiciſmi*: & aliud vernaculum: *Collyrium quoddam aperiendis & purgandis oculis cæci Doctoris confectum*.

20. 1697. Nicolaus Erkelius *Montfortius*, Paſtor ad S. Urſulam Delphis, Canonicus Capituli Ultrajectini & Rhenolandiæ Archi-presbyter, vir religioſiſſimus & in pauperes ac hoſpites liberaliſſimus.

21. 1738. Godefridus Valkenburg *Amſtelodamenſis*, Paſtor Delphenſis ad S. Hyppolitum, Canonicus & Secretarius Capituli Ultrajectini, vir acri ingenio, doctus & facundus verbi divini præco. Edidit aliquas ſcriptiunculas ſine nomine auctoris admodùm ſolidas, inter quas eſt: *Brief van een Vriend aen zijnen Médevriend over de Magt van den Paus, &c. in het diſpenſeeren van den Eedt en Gehoorzaemheid aen de Burgerlijke Overheid, 't zy om Kettery of anderſints*, &c.

22. 1636. Gerardus Corſelius *Leodienſis*, J. U. Doctor

Doctor Lovanii & Juris Civilis Anteceſſor primarius, inde primùm in Parlamento Mechlinienſi, poſt etiam in Sanctiori Concilio Senator Eccleſiaſticus, Præpoſitus Harlebecenſis. Edidit *Orationem*, quam habuit in funere Juſti Lipſii. Scripſit & *Commentarium abſolutiſſimum in codicem Juſtinianum*; item *Conſilia & reſponſa juris varia*, &c.

22. 1707. Joannes Borremans *Hallenſis*, Canonicus ſecundæ fundationis Bruxellis & Vice-Paſtor laborioſiſſimus ſub Plebano Roucourtio & ejus ſucceſſore. Scripſit ſermone vernaculo aliqua opuſcula ſuper controverſiis fidei, inter quæ eſt: *Grondrègel des Geloofs*.

1711. Paulus Roskam *Delphenſis*, vir doctus & pius, Monialium Embricenſium per multos annos fideliſſimus, & monaſterio utiliſſimus Director, ab iisdem Monialibus, quòd cenſuræ in Coddæum latæ nollet ſubſcribere, & Cleri Batavici libertatem ac jura viriliter tueretur.

23. 1644. Cornelius de Paep *Lovanienſis*, in Academia Grudia J. U. Doctor, Regius S.S. Canonum Profeſſor ordinarius, & Oratorii D. J. Presbyter. Obiit Romæ, unà cum Sinnichio ad S. Sedem delegatus, tam pro conſervandis Academiæ privilegiis, quam pro ſe-

dandis tumultibus in Belgio ortis occaſione famoſæ Bullæ Urbani VIII. contra AUGUSTINUM Janſenii Erat magnæ expectationis: verùm abreptus eſt anno ætatis 35.

24. 1605 Joachimus Axonius *Gravienſis* Guelder, J. U. Doctor, Sereniſſimis Belgarum Principibus à conſiliis maritimis, Poëta & Philologus, græcè quoque apprimè doctus, unde & multa vertit è græco, inter quæ ſunt: *Maximi Planudis oratio in ſepulchrum Chriſti. Agapeti præcepta morum.* &c. Scripſit & ipſe varia: 1. *De libero hominis arbitrio adverſùs Lutherum & Calvinum.* 2. *Carmen Paramythicum in laudem Coſmographiæ.* 3. *Epicedion in mortem Antonii Burgundi, maris in Belgio præfecti*, & alia plura.

1619. Joachimus Baexius *Ultrajectinus*, doctus, humilis & facundus Presbyter, penè totum ſe impendens ruſticis, qui in fodinis laborabant, erudiendis & paſcendis, ipſe rigoroſiſſimè & pauperrimè victitans. Scripſit varia, ſed pleraque ſermone vernaculo, & *converſionem* tum hæreticorum, tum pravorum Catholicorum concernentia. Inter illa ſunt: 1. *Advocatus omnium ſincerorum Catholicorum.* 2. *Scopæ conſcientiæ.* 3. *Pravorum Catholicorum* QUARE. 4. *Anathema omnium*

Hæ-

Hæreticorum, *Politicorum & perverſorum Catholicorum.*

26. 1676. Joannes Roucourt *Lovanienſis* S. T. L., ex ſolertiſſimo Philoſophiæ Profeſſore graviſſimorum virorum calculis eligitur Bruxellenſium Plebanus. Penè incredibilia ſunt, quæ in vaſtiſſima hac ſtatione egit & paſſus eſt prædicando, catechizando, pauperes ſublevando, ægros viſendo, captivos redimendo, utriuſque ſexûs impudicos redarguendo & in ſordibus obduratos è parochia ſua pellendo, lites ac privatas diſcordias ſingulari dexteritate extinguendo, omnibus conſulendo. Viri hujus charitas præcipuè eluxit, dum primo plebanatûs ſui anno, graſſante lue, ſæpe horis integris ad mœnia ſcharbecana (ubi non niſi inopes & miſeri habitant) moratus eſt, ut eo morbo infectos inſtrueret, & ſpiritualibus corporalibuſque mediis recreatos ad commune noſocomium, ſi ægrorum vires permitterent, deferri curaret. Profudit eo anno in pauperes bis mille florenos, quos ex lectione ſua Lovanii collegerat, ut nihil dicam de immenſis ſummis, quas & tunc & toto curæ ſuæ decurſu à Ditioribus ipſo monitore allatas in ſolamen indigentium cum grandi ſolicitudine impendit. Inter hæc omnia publicis

non

Digitized by Google

non ſuperſedit; aſt cenſoris librorum & examinatoris ordinarii munus ab Archi-præſule ſuo ſibi impoſitum irreprehenſibiliter implevit, quin & tractatus vernaculos *De Fide*, *Spe & Pænitentia* communi ſuffragio probatos in lucem emiſit.

28. 1720. Cornelius Franciſcus Krys *Amſtelodamenſis*, S. T. L. Canonicus Graduatus Harlemenſis & zeloſiſſimus Paſtor in Overdien, prope Amſtelodamum, multa paſſus, quòd Archi-epiſcopi Sebaſteni cauſam defenderat, & cum Canonicis Capituli Ultrajectini intimè eſſet conjunctus.

30. 1710. Theodorus Verhoogh *Leidenſis*, Oratorii D. J. Presbyter, laborioſiſſimus & diligentiſſimus Ampliſſimi Heuſſenii in civitate patria Capellanus, in quo à teneris uſque ad obitum obſervata fuit eminens & maſcula pietas.

1734. Guilielmus Franciſcus de Roover *Bruxellenſis*, præclari talenti theologus, Subdiaconûs ordine inſignitus, qui cùm (finito apud Grudios S. Theologiæ curriculo) ad Diaconatum promoveri non poſſet, quòd nollet ſubſcribere Formulario Alexandri VII. juxta novum Archi-epiſcopi ſui pro gramma, ſedem fixit Bruxellis in æde paterna, ubi ingenioſæ & piæ

ejus

Digitized by Google

ejus ſorores etiam poſt patris Pharmacopolæ obitum nonnulla pharmaca, clauſis januis, maximè in ſubſidium inopum præparabant. Hic igitur ſcientiæ theologicæ adjunxit ſtudium Medicinæ, in qua tam filiciter profecit, ut rogaretur à plurimis gradum in ea ſcientia ſumere: at ſufficiebat viro integerrimo, poſt officia divina, quibus in parochia ſua cum exemplari pietate ſemper intererat, poſt horarum canonicarum penſum, & poſt S.S. Litterarum Meditationem, quotidie aliquot horas impendere viſendis quaquaverſum pauperibus ægris, quos pabulo ſolidæ catecheſeos, eleëmoſynis & pharmacis ſecum allatis, cum ingenti charitate reficiebat. Huic ſancto exercitio triginta vitæ ſuæ annos & ſupra cum magno indigentium fructu conſecravit, & conſecraſſet ulteriùs, niſi coactus fuiſſet anno 1729. cum multis aliis deſerere patriam, ad evitandam ſignaturam tum Formularii juxta Bullam VINEAM DOMINI, tum acceptationem Conſtitutionis UNIGENITUS.

OCTOBRI.

1. | 1600. HEnricus d'Oultxemannus *Valencenenſis*, urbis Patriæ præfectus, vir

vir in politiori litteratura admodùm verſatus ideoque Juſto Lipſio amicus. *Geſta & Elogia trium Principum, Alexandri Farneſii, Alberti Auſtriæ Archiducis, & Caroli Croïaci Ducis Arſchotani*, & plura alia.

1. 1695. Joannes de Windt, Mechlinæ in collegiata B. M. V. Canonicus, parvulorum & pauperum inſtructor perpetuus, quos perferventer plurium horarum orationibus quotidie Deo commendabat, & quorum confeſſiones ſtatis diebus cum ingenti patientia & fructu excipiebat.

2. 1652. Joannes Wachtelarius *Ultrajectinus*, per annos quadraginta quinque Vicarius Generalis Eccleſiæ Ultrajectenſis, vir doctus, pro defendenda fide catholica imperterritus & in promovenda cauſa Cleri per *Concordatorum* inter Clerum & Regulares obſervantiam indefeſſus. Cùm ei quidam prælegeret ſententiam Judicis, qua & in exilium agitur, & canonicatu ad S. Mariam privatur, & in pecuniariam mulctam condemnatur, id unum cum S. Cypriano ad mortem damnato, respondit: *Deo gratias*. Scripſit *compendium totius doctrinæ S. Auguſtini*, & *Conſenſum Evangeliſtarum circa dominicam paſſionem*.

1728 Zegerus Bernardus van Eſpen *Lova-*

vanienſis J. U. Doctor & S.S. Canonum in Academia patria Profeſſor, vir humillimus, pientiſſimus & doctiſſimus, totoque orbe catholico per ſua ſcripta, & per ſuſcitatas ipſi ab improbis calumniatoribus divexationes, notiſſimus, cujus grande Opus, *Jus Canonicum univerſum Belgarum ac vicinorum populorum moribus accommodatum*, 2. tomis in folio circa finem ſeculi XVII. apud Grudios editum, & tam in Germania quàm in Francia crebrò typis commiſſum, poſtmodùm acceſſione multorum opuſculorum *De Cenſuris*, *De Promulgatione legum*, *De Recurſu ad Principem*, &c. valde adauctum eſt, & impoſterum per varia *Conſilia* & *Reſponſa juris* in ſcriniis ejus inventa, vel apud amicos in originali aſſervata, ut ſperant juriſconſulti & theologi, ulteriùs ad augebitur.

4. 1676. Marius Ambroſius Capello *Antverpienſis*, ex Ordine Prædicatorum S. T. in Academia Lovanienſi Doctor, vir in omnibus linguis totius penè Europæ apprimè verſatus, ſubtilis Philoſopus ac theologus, & diſertus eccleſiaſtes. A. Rege Catholico pro religionis ſuæ negotiis ad Urbanum VIII. orator miſſus, ad ejuſdem Principis nominationem conſecratur anno 1654.

Digitized by Google

urbis ſuæ natalis Epiſcopus, ubi & inſignem S.S. Bibliorum in idioma Flandricum verſionem, typis Plantinianis edi curavit, & ſeminarium *Roſæ*, ſeu collegium Paſtorum emeritorum, cum grandi liberalitate inſtituit.

5. 1605. Petrus Simonius *Tiletanus Flander* S. T. L., ex Paſtore Cortracenſi Iprenſis Epiſcopns, vir doctus & facundiæ ſingularis. Scripſit varia, inter quæ ſunt 1. De *Veritate* libri VII. 2. *Apologia pro veritate Catholica contra Calvinum.* 3. *Tractatus de hæreſios Hæreticorumque natura.* 4. Oratio quodlibetica, *An aliqua ſit idonea* & juſta cauſa deficiendi ab Eccleſia Romana. 5. *Tractatus de Epiphania.* 6. *Diſſertatio de Puero cum Doctoribus in Templo diſputante.* 7. *Tractatus de Jeſu Chriſti in monte Thabor cum Moyſe & Elia colloquio.* 8. *Oratio funebris in exequiis Cornelii Janſenii primi Gandavenſium Epiſcopi* 9. Exhortationes variæ ad Paſtores diœceſios Iprenſis de *ſtudio S.S. Litterarum*, *de caſtitate*, *de gula vitanda*, *de avaritia vitanda*, *de pœnitentia*, *de oleo ſacro & cineribus*, & alia plura, quæ ſimul typis Plantinianis uno tomo in folio ſunt impreſſa.

1629. Heribertus Roſweidus *Ultrajectinus*, Societatis Jeſu ſacerdos, vir laborioſus

qui

Digitized by Google

qui Penè omnes totius Belgii Bibliothecas luſtravit atque excuſſit, & Eccleſiæ antiquitates indagando, plurima monumenta eruit. Scripſit multa, inter quæ: 1. *Faſti Sanctorum* qui ſunt quaſi quoddam præludium magni Operis de vitis Sanctorum, quod Bollandus incepit. 2. *Vitæ Patrum*, opus quidem antiquum, ſed à Roſweido notis auctum. 3. *Vindiciæ pro libello Thomæ à Kempis* de Imitatione Chriſti. 4. *Notæ parallelæ in B. Paulini Oper.* 5. *Martyrologii Adonis Recenſio.* 6. *Vindiciæ inferiarum Juſti* Lipſii contra Joſephum & ſcaligerum; & alia plura.

5. 1720. Georgius l'Eſcaille *Thenenſis*, Paſtor in Meldert, ubi plebem ſibi commiſſam per annos ferè novemdecim verbo & exemplo affectuoſiſſimè rexit. Fuit unus ex Paſtoribus, qui contra exactionem Bullæ UNIGENITUS in Senatu Brabantino ſupplicarunt. Unde & in ultimo morbo noſcitur multa paſſus, ſic ut non per Archi-presbyterum ex more, ſed per vicinum ſacerdotem extrema adjumenta & officia eccleſiæ catholicæ ei exhibita ſint.

1734. Nicolaus Maillart *Malbodienſis*, Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ S. Waldetrudis in Civitate Montenſi, vir de-

ſideriorum & precum, unus ex eorum numero, qui anno 1729. abſceſſerunt è Belgio Auſtriaco ad evitandam tum ſignaturam Formularii juxta Bullam VINEAM DOMINI, tum acceptationem Conſtitutionis UNIGENITUS. Elucebat eminenter in imbuendis Chriſtiana pietate & ſcientia adoleſcentulis, quos parentes, etiam in ſublimi dignitate poſiti, certatim ejus curæ nitebantur committere.

6. 1682. Amathus de Coriache *Brugenſis* S. T. L. Archi-diaconus & itaratò Sedis Archi-epiſcopalis Mechlinienſis vacantis Vicarius Generalis, intrepidus veritatis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ defenſor, paſſus aliquando per executionem militarem ſupellectilis & totius domus ſuæ direptionem, quòd recuſaret confirmare electionem Abbatiſſæ, ſine libertate & contra regulas factam. Edidit quoque exiſtens Vicarius Generalis varia utiliſſima Decreta, inter quæ celebre illud anno 1656. *De renovandis votis baptiſmalibus*, & aliud anni 1668. *Contra ſuperſtitiones.*

7. 1609. Henricius Cuykius *Culenburgenſis*, olim Lovanii in IV. Pædagogiorum ſeu Collegiorum Philoſophicorum concurſu *Primus*, S. T. Doctor ac Profeſſor nec non ad S. Petrum Decanus, & tandem Epiſcopus Ruremun-

Digitized by Google

mundenſis, quo munere ſumma laude ſummoque tuendæ religionis zelo functus, & cum vita ipſa defunctus eſt. Inſtruxit Cuykius Eccleſiam non ore dumtaxat per frequentiſſima ad clerum populumque alloquia, verùm etiam multis ſcriptis in lucem publicam emiſſis, inter quæ ſunt: 1. Queſtio quodlibetica de anno jubilæo. 2. Orationes panegyricæ ſeptem partim circa fidem orthodoxam, partim circa diſciplinam eccleſiaſticam. 3. Epiſtolæ Parænetica plurimæ ad Mauritium Naſſoviæ Comitem, ad Florentium à Pallandt Culemburgi Comitem, ad Neoſtadienſes, ad Cives & Populares ſuos Culemburgenſes, ad varios Catholicæ fidei deſertores, ad Clerum Ruremundenſem, &c. 4. Extant & Conciones ejus viginti de Sacrificio Novi Teſtamenti ſeu Miſſæ, item recenſio Operum Caſſiani, cum notis & alia.

7. 1700. Eraſmus van Geet S. T. L. Eccleſiæ Cathedralis Gandavi Paſtor, ac dein Canonicus & Pœnitentiarius, doctus & eloquentiſſimus concionator, cum incredibili claritate intricatiſſimas etiam Theologiæ ſcholaſticæ quæſtiones idiomate vulgari coram plebe contra laxiores caſuiſtas exponens magno incolarum concurſu & fructu,

Geor-

Dies. *annus*

8. 1635. Georgius van Campen *Harlemenſis*, Oratorii D. J. Presbyter S. T. L., in urbe patria Sacerdos Curatus, vir zeli penè incredibilis, qui diu noctuque peſte infectis aſſiſtit, inter glorioſos labores moritur.

9. 1614. Jacobus Bajus *Athenſis*, Michaëlis baii ex fratre nepos, in alma Univerſitate Lovanienſi S. T. Doctor, collegii Sabaudeci Præſes, Regiuſque Catecheſios Profeſſor nec non ad S. Jacobum Decanus: hanc tamen dignitatem poſt patrui apparitionem spontè deſeruit. Ex ſuis patruique opibus fundavit inſigne Collegium Bajanum, Ad inſtantiam Epiſcoporum Belgii ſcripſit *Inſtitutionum Chriſtianæ Religionis libros* IV. quod Opus in folio editum, paſſim vocatur *Catechiſmus Jacobi Baii. Scripſit inſuper Opus in folio*, cui titulus: *De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento & ſacrificio Miſſæ lib.* III.

1722. Antonius Hazaert *Rupelmundanus*, zeloſiſſimus & doctiſſimus Paſtor Begginaſii Antverpienſis, olim Lovanii in prima linea promotus. In propria cathedra à Religioſo ſtationario ut hæreticus traductus, quòd *non crederet*, ut aſſerebat ſtationarius, *Romani Pontificis infallibilitatem*, judicavit Paſtor ſe obſtrictum ad totam illam ſuper

ſuper Pontificia Infallibilitate quæſtionem ab ovo coram Begginis ſuis & copioſa plebe explanandam, quod per unam alteramque concionem diſertisſimè præſtitit ſic proponens Eccleſiæ Gallicanæ ſuper hac materia ſententiam, ut oſtenderet, nequaquàm per illam imminui debitam ſupremo Chriſti Vicario reverentiam, verùm ea res attraxit viro acerbiſſimas correptiones & terribiles comminationes.

11. 1622. Adrianus Antonii *Brabantus ex Oorſchot*, Paſtor ad S. Gertrudem Ultrajecti & Aſſeſſor Vicariatûs intimè unitus Martino Regio. Teſtatur Rovenius in prima Relatione Romana anno 1616., Adrianum illum Ultrajecti iam per annos 30. agere fidelem Pœnitentiarium. Poſt toleratum carcerem, minas & quæſtiones obiit cum bono odore ſanctitatis. Scripſit *Informationem* XIX. *Martyrum Gorcomienſium.*

1651. Philippus Rovenius *Roveno-Tranſiſulanus* S. T. L. Archi-epiſcopus Philippenſis ac Ulrrajectenſis & Vicarius Apoſtolicus per Fœdetatum Belgium, vir ſanctus, doctus, indefeſſus, operarius inconfuſibilis rectè tractans verbum veritatis. Mira fecit, gravia pertulit ab ipſis etiam domeſticis fidei, & pulchra ſcripſit, quæ

Digitized by Google

omnia vide accuratè propoſita in *Batavia ſacra*. Inter ſcripta autem Rovenii præ cæteris omnibus grandi encomio ab ipſis etiam Gallis extollitur *tractatus de Miſſionibus ad propagandam fidem*.

11. 1682. Joannes Recht *Helebecanus* in agro Athenſi, S. T. Doctor Lovanii & Collegii Bajani Præſes, vir ingenioſus, eruditus & zeloſus defenſor doctrinæ S. Auguſtini de gratia, quam judicabat per latus Janſenii à moliniſtis impeti. ut ergo doctrina S. Auguſtini ſervaretur ſarta tecta delegarunt eum anno 1649. Madritum Archi-epiſcopus Mechlinienſis Jacobus Boonen & Univerſitas Lovanienſis, & omnes Belgii Abbates Ordinis Præmonſtratenſis pro obtinendo potenti Regis Catholici interventu apud ſummum Pontificem, adjungentes Rechtio in ſocium legationis inſignem theologum Lovanienſem Ignatium Gillemans. Optimè Rechtius cum Gillemanno recipitur Madriti à doctiſſimis quibusque theologis præſertim à Dominicanis & Auguſtinianis, à Magno Inquiſitore, à primariis miniſtris & ab ipſo Rege, præſentat varia memorialia, publicat ſcriptum cum titulo *Propoſitiones à Jeſuitis prolatæ contra S. Auguſtinum*, quas numero viginti duas dam-

damnat Inquiſitio, & tandem obtinet ab Aula Rechtius litteras ad Papam, quibus Rex à Pontifice poſtulat, *Auguſtinum* Janſenii valde ſeriò examinari, ut, ſi in eo non reperiantur quæ ab adverſariis illi attribuuntur, cenſura in librum lata levetur ac revocetur.

11. 1727. Willebrordus Timmer *Vianenſis*, Paſtor Rotterodami, facundus Præco & operarius indefeſſus, qui & novum Oratorium ſeu Eccleſiam excitavit, quam exquiſitiſſimis S.S. Reliquiis ditavit.

1728. Petrus Jaille *Gandenſis*. Hunc, cum S. Theologiæ operam daret, acrique ac vivido ingenio adjungeret laborem indefeſſum ac penè incredibilem, perpetuò à ſacris Ordinibus arcuit horror ab indiſtincta ſubſcriptione Formulæ Janſenianæ & à ſuſceptione Bullæ Unigenitus: habitum tamen clericalem geſtavit uſque ad mortem, quæ ei accidit anno ætatis 39. in Ooſſelgem, ubi curabat negotia domûs funerariæ patrui ſui, de quo ante ad 26. Auguſti. Cùm adminiſtranda ei eſſent extrema Sacramenta à quodam Paſtore vicino: poſtulavit hic ab eo acceptationem Bullæ Unigenitus, cui cùm nollet conſentire ægrotus, non eſt tamen auſus Paſtor ille (quip-

pe cui nihil ejuſmodi mandatum fuerat) negare Sacramenta. Relationem rei geſtæ dictavit æger fideli amico eique relationi propria manu ſubſcripſit. Erat autem Petrus Jaille litteris ſacris ac profanis non mediocriter eruditus, græcè & hebraicè doctus, Matheſios peritus, S.S. Patrum & Conciliorum lector ſtudioſiſſimus, ut inſignes tot laborum fructus licuerit ſperare, ſi vita longior ei obtigiſſet, quod ex variis ſpeciminibus poteſt intelligi. Scripſit flandricè quædam circa Bullam UNIGENITUS, & nonnulla adversùm ſuperſtitiones Sinenſes. Sed præcipua ei cura fuit libros pios atque omnibus utiles ex gallico ſermone in flandricum transferre. Vertit igitur *Catechiſmum Montispeſſulanum* accuratius quàm fuerat ante ab altero verſus; *Mores Iſraëlitarum ac Chriſtianorum*. D. Fleury; *Concordiam Evangelicam*, ſub titulo *Vitæ Chriſti*, cui prefixit inſigniſſimam Præfationem, *Hiſtoriam & Moralia Veteris Teſtamonti*; *Inſtructiones ſuper duobus Sacramentis ſcilicet Pœnitentiæ & Euchariſtiæ*; *Directorem ſpiritualem* pro iis, quibus talis deëſt, item undecim *Volumina Operum Moralium D. de Villethierry*, quorum aliqua hactenus typis edita ſunt, & alia quædam.

Ber-

Dies.	*annus*	
15.	1653.	Bernardus Hooghwerf *Rotterodamus*, alterius Paſtoratûs in civitate patria munificus fundator, qui raro modeſtiæ humilitatiſque exemplo non præeſſe eccleſiæ à ſe fundatæ, ſed alteri Paſtorem agenti inſervire maluit, & reipſa ut Capellanus inſervivit quam diu vixit.
17.	1631.	Theodorus Cornelius de Witte *Ultrajectinus* S. T. L., primus Dordraci poſt mutatum Regimem politicum conſtitutus anno 1605. Paſtor. Ex hac ſtatione actus in exilium, creatus eſt à Rovenio Vicarius Generalis Diæceſios Ultrajectinæ & Provicarius Eccleſiæ Middelburgenſis. Concinnavit *Officia propria Sanctorum provinciæ Ultrajectinæ* Edidit etiam non nulla Flandrico idiomate ſub nomine Chriſtophori Lovanienſis.
	1697.	Martinus la Loyaux, Sedulus Paſtor B. M. V. de Capella Bruxellis. Hic anno ætatis 28. relicta ſutrinâ, grammaticæ totiuſque humanioris litteraturæ curſum in collegio S.S. Trinitatis Lovanii incepit & ſpatio 30. menſium cum laude abſolvit ac deinde Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia cum pari laude eſt proſecutus.
18.	1619.	Petrus Gudelinus *Athenſis* J. U. Doctor & Anteceſſor Lovanii, vir in quo omnia ſumma fuerunt, ingenium,

Digitized by Google

Dies. annus

judicium, ſtudium, doctrina, variarium artium etiam Mathematicæ ſcientia; linguarum inſuper latinæ, græcæ & hebraicæ cognitio, item modeſtia, probitas pietas ſingularis. Opera ejus cunctis juris cultoribus in pretio ſunt, inter quæ eminent 1. *Commentarii de jure noviſſimo.* 2 *Tractatus de jure pacis.* 3. *Tractatus de Feudis.* 4. *Syntagma regularum juris.* 5. *Notæ ac ſcholia in Decrètales.* 6. Variæ orationes, &c. Venerat Lovanium anno ætatis 14., ubi poſt biennium in IV. Pædagogiorum concurſu tertium locum obtinuit & licentiæ gradu donatus Mechliniæ annis 4. ante Doctoratum cauſarum patronum egit.

18. 1652. Leonardus Marius *Goeſanus* S. T. in Academia Colonienſi Doctor & Seminarii Hollandici Præſes. Inde ad Batavos redux mox creatus eſt Præpoſitus & Vicarius Generalis Capituli Harlemenſis nec non Paſtor Begginaſii Amſtelodamenſis, vir in divinis litteris verſatiſſimus, facundiſſimus eccleſiaſtes, politioris litteraturæ linguarumque græcæ atque hebraicæ cognitione apprimè inſtructus. Catholicum ejus zelum & induſtriam æternùm loquetur plurimorum etiam magnæ notæ hominum ad fidem ortho-

hodoxam converſio: eruditionem autem apud poſteros annuntiabunt clariſſimæ illius lucubrationes, inter quas ſunt *Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Catholica aſſertio contra Mareum Antonium de Dominis.* *Reſponſum Catholicum contra Simonem Epiſcopium*, & aliæ: at præ cæteris eminet ejus *Commentarius in Pentateuchum*; & meditabatur inſtar hujus Commentarii immenſum Opus in totum Vetus Novumque Teſtamentum, à quo labore ad curam animarum totum ſe applicuit conſpiciens R. P. Cornelium à Lapide ſimili molitioni in Scripturam S. incumberé.

18. 1696. Adrianus Herremans *Iprenſis*, olim in Philoſophorum Lovanii concertatione omnium *Primus.* Finito S. Theologiæ ſeptennio factus eſt Paſtor Culem-burgenſis & inde Bruxellenſium Plebanus, ubi vir doctus & eloquens tam, impigrè commiſſis ſuæ curæ ovibus invigilavit, ut totis viginti annis Plebanatus numquam extra Parochiam ſuam pernoctaverit.

19. 1604. Stephanus Vinandus Pighius *Campenſis Tranſiſelanus*, cognomen ab Alberto Pighio avunculo mutuatus græcè latineque inſigniter doctus, Italiam, viſit & in ipſa Urbe octo annos verſatus ſumman Romanæ Antiquitatis notitiam ſibi comparavit, vir multiplicis

plicis lectionis, ſtudii indefeſſi, calami elegantis, & omnium eruditorum iſthic couſuetudine honoratus. In Belgium regreſſus fuit Cardinali Granvellano annos amplius quatuordecim ab epiſtolis, inde Guilielmi cliviæ Ducis filio datus præceptor. Obiit Canonicus & Scholaſticus Sanctenſis in Clivia anno ætatis 84. Vixit ad extremum vitæ diem valetudine firma, ſtudio infatigabilis, ordinis ac ſtatûs eccleſiaſtici obſervantiſſimus. Deſcripſit libro ſingulari *Iter ſuum Romanum* ſecundum cum Guilielmi Ducis filio anno ſeculari 1575. inſtitutum. 2. Scripſit & alterum librum cui titulus *Themis Dea* ſive de lege divina & *Mythologia* in quatuor anni tempora. 3. Recenſuit *Valerium Maximum* è Manuſcriptis codd: quem & notis illuſtravit. 4. Concinnavit grande Opus tomis tribus in folio, cui titulus *faſti Capitolini ſeu Magiſtratuum urbis Romæ, Conſulum, Prætorum ac Tribunorum plebis annales*.

19. 1608. Martinus Antonius Delrio *Antverpienſis*, ex Brabantinæ Curiæ Conſiliario Jeſuita. Plurima ſcripſit tum ante tum poſt ingreſſum in Societatem Jeſu. Anno ætatis ſuæ 57. ex calculi cruciatibus Lovanii mortuus. Inter opera ejus ſunt 1. Commentarii in Se-

Senecam alioſque veteres Tragædos. 2. Hiſtoria de rebus ſub duce Albano, item ſub Petro Henriques Comite Fontano in Belgio geſtis. 3. Miſcellanea juris. 4. Florida Mariana. 5. Vindiciæ Areopagiticæ. 6. Commentarius in Cantica Canticorum, in Threnos Jeremiæ, & alia. Scripſit inſuper famoſum Opus *Diſquiſitionum Magicarum*, per quod nomen illius maximè orbi innotuit.

19. | 1635. Auguſtinus Wolfius S. T. L. Paſtor Euchuſanus & Canonicus ac Pœnitentiarius Harlemenſis, hierarchiæ eccleſiaſticæ propugnator ſtrenuus, ob eam cauſam carceres & exilia paſſus ab Acatholicis, per coöperarios in vinea Domini, qui Concordatis & recto ordini adverſantur, inſtigatis & impulſis.

1640. Autbertus Miræus *Bruxellenſis* S. T. L., Eccleſiæ Cathedralis Antverpiæ Decanus, vir Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ac rerum Belgicarum cognitione in primis excellens; qui in id unum videtur incubuiſſe, ut cum blattis tineiſque hactenus pugnantia in lucem proferret, atque ita Eccleſiæ ſtatum ac reginem ad utilitatem legentium ob oculos poneret. Cæterum ſummi hujus viri elogia deſcripſerunt & lucubrationes penè innumeras accuratè re-

cenſuerunt Valerius Andreas, vandeneedius & alii. Sufficiat nobis pro ſcopo hujus Opuſculi paucula producere. Itaque inter Opera Miræi ſunt 1. Originum Monaſticarum libri IV. 2. Originum Ordinum Equeſtrium ſeu Militarium libri duo. 3. Elogia illustrium Belgii Scriptorum. 4. Vita Justi Lipſii. 5. De Collegiis Canonicorum liber ſingularis. 6. Notitia Episcopatuum orbis univerſi. 7. Geographia Eccleſiaſtica. S. Bibliotheca Eccleſiaſtica. 9. Chronicon Chriſtianum. 10. Chronicon Belgicum. 11. Faſti Belgici. 12. Rerum Belgicarum Annales. 13. Codex piarum donationum, &c.

20. 1705. Anna vander Elſt mater Guilielmi vanden Neſſe Paſtoris ad S. Catharinam Bruxellis pientiſſima & fortiſſima mulier, quæ cùm intellexiſſet, Capitulum S.S. Michaëlis & Gudulæ elegiſſe filium ad honorificum & pinguem Canonicatum, ſic electum affata eſt: *æquiori animo, fili, conſpiciam te efferri ad tumulum, quàm à laboribus paſtoralibus tranſire ad commodam vitam Cononicorum*, & obſecutus eſt deſiderio matris filius Paſtor, quæ ſecuta deinceps ejuſdem filii exilia, calumnias aliaſquæ adverſitates in ſpiritu adorationis conſtantiſſimè pertulit.

Pas-

Digitized by Google

20. 1709. Paſchaſius Cole *Waſianus ex Haesdonck* S. T. L. vigilantiſſimus Paſtor in Aſche. Penè incredibilia ſunt, quæ in vaſta illa Parochia per annos viginti duos cum unico Vice-paſtore fecit & paſſus eſt 1. Frugalem imo pauperem vitam duxit effundens omnia in ægros & egenos. 2. Dimiſit ex eccleſia ſua omnes copias auxiliares ſeu Monachos *Stationarios*, ut vocant. 3. Singulis dominicis & feſtis per ſe tertiò catechizavit, inſuperque exhortationem & præter hanc eloquentiſſimam concionem habuit ad populum. 4. Diebus ferialibus ſingulis poſt Sacrificium habuit breve alloquium ad præſentes. 5. Præter expilationes aliaque acerbiſſima bellorum incommoda etiam difficultates ab Aula Archi-præſulis ſui Humberti malè informati patienter ac fortiter devoravit.

21. 1626. Nicolaus Nomius *Harlemenſis* S. T. L., ex Paſtore Leidenſi factus Harlemi Paſtor, Canonicus & Capituli Decanus, itineris quoque Romani, quod Rovenius inſtituit, comes fuit, cum Archi-præſule ſuo conventiones inter Clerum ac Regulares apud purpuratos Patres validè promovit, confirmationem Capituli Harlemenſis ſtrenuè tutatus eſt.

Digitized by Google

Dies. | annus

21. 1633. Joannes Malderus *ex Leeuwa* prope Bruxellas, S. T. Doctor Regiuſque apud Grudios Profeſſor, inde promotus ad Cathedram Epiſcopalem Antverpienſem, quam annis ferè viginti tres laudatiſſimè tenuit ſolicitè regendo & providendo, exemplariter prælucendo, indefeſsè docendo & ſcribendo. Doctrinæ ejus monumenta ſunt. 1. *Commentarius in Canticum Canticorum.* 2. *Inſtructio Catechetica.* 3. *Commentarius in primam partem Summæ Theologicæ S. Thomæ.* 4. Item *in Primam ſecundæ.* 5. Item *in ſecundam ſecundæ.* 6. *Tractatus de abuſu reſtrictionum mentalium*; item, *De ſigillo confeſſionis.* 7. *Meditationes theologicæ totius Theologiæ Summam complectentes.* 8. *Anti Synodica* ſive animadverſiones in decreta Conventûs Dordraceni.

23. 1652. Joannes Antonius à Gurnez *Stabletenſis*, Oratorii D. J. Presbyter in notitia rerum Eccleſiæ Belgicæ apprimè verſatus. Inter ſcripta ab illo edita ſunt. 1. *Fax advitam S. Liberti.* 2. *Laka parthenia.* 3. *Palæſtra Scholæ Publicæ Mechlinienſis.*

24. 1699. Chriſtianus de Cort *Hilvare-becanus*, Oratorii D. J. Presbyter & Paſtor S. Joannis Mechliniæ, vir ingenioſus, doctus & mirè facundus. Edidit

didit primam partem magni Operis famoſæ Antoniæ Bourignon *la Lumiere du monde*, quam in longa præfatione magnis encomiis commendavit. Et hæc res non modicè imminuit viri hujus authoritatem, qui etiam ante mortem detexit & agnovit Antoniæ iſtius hallucinationes.

25. 1727. Matthias Ooſterling *Edamenſis*, Paſtor in civitate Delphenſi, librorum Cenſor, Canonicus & Secretarius Capituli Ultrajectini, vir humilis, ſed pro veritate, & pro juribus Eccleſiæ Batavicæ defendendis imperterritus.

27. 1653. Libertus Fromondus *Haccurianus*, S. T. in Academia Lovanienſi Doctor, S. S. Litterarum Profeſſor Regius & ad S. Petrum Decanus, vir ameniſſimi ingenii, ſummæ pietatis & eligantiſſimæ doctrinæ, Philologus, Philoſophus, Mathematicus, Theologus, in omnibus eminens & verè eximius, cujus rei fidem faciunt libri ab eo in lucem emiſſi, quos exactius vide enumeratos in ſecunda editione Bibliothecæ Belgicæ valerii Andreæ. Scripſit autem in *Canticum canticorum*, in *Acta Apoſtolorum*, in *Epiſtolas & Apocalipſim*. Inter Opera ejus eſt quoque *Criſis adversùs Gilbertum Voetium*. 1. item *Anatomia hominis*, item *Vincentii le-*

nis theriaca, item *Stratagema*, item *Somnium Hypponenſe*, item *Chryſippus*, & plura alia opuſcula de libero Arbitrio & Gratia juxta mentem S. Auguſtini, vel ſine nomine vel alieno nomine edita, quibus addi poſſunt varia in juniori ætate ab ipſo confecta V. G. *Diſſertatio de cometâ anni* 1618. item *Cæne Saturnalitiæ*, item *Labyrinthus*, item *Philoſophiæ Chriſtianæ de anima libri*, item *Meteorologicorum libri*; & alia plurima.

27. 1656. Joannes Henricus vander Stock *Lugduno-Batavis*, Oratorii D. J. Presbyter vigilans Paſtor Leovardienſis, qui dum diligentiſſimè aſſiſtit peſte infectis, contracto contagio ponit animam pro ovibus ſuis.

1702. Gummarus Huygens *Liranus*, S. T. Doctor, celebris, & Collegii Adriani VI. Lovanii excellens Præſes, animarum Director & Paſtorum efformator eximius, *quem anno* 1687. *ipſe Steyartius cum cæteris collegis ſuis ad ſtrictæ Facultatis corpus elegit & magnis laudibus extulit.* Tulit calumnias & multiplices perſecutiones conſtantia ac tranquillitate incredibili. Edidit complures Tractatus practicos ſub titulo Theſium V. G. *De Peccatis ignorantiæ*, *de opinione probabili*, *de Certitudine morali*, *de Gratia*, *de Voto*, *de*

de Superſtitione, *de Caſtitate*, &c. Extat etiam utiliſſimum Opus ejus 3. tomis in 8. nomine *Conferentiarum*, item *Methodus remittendi*, *&* *retinendi peccata*, item *Compendium Theologiæ*, inſuper *Theologia Scholaſtica*, titulo, *Obſervationum brevium*, quæ ad 14. vel 15. tomos in 8. excrevit, & alia plura. Obtinuerat olim in IV. Pædagogiorum concertatione *Secundum* locum, & expleto ſub Sinnichio Theologiæ curſu, electus fuerat Philoſopbiæ Profeſſor in Falcone, ubi pluribus annis cum ſedulitate & gloria docuit.

28. 1603. Ægidius Wallius *Brugenſis*, in Academia Lovanienſi S. T. Doctor, ſtrictæ Facultatis Regens & Canonicus ad S. Petrum. Totum peculium ſuum legavit in alimentationem ſtudioſorum S. Theologiæ. Edidit *Parænesin Antiquitatis* ad novos fidei ſectarios. Item *Orationem de vera Eccleſiæ poſteritate*.

1708. Joannes de Graef *Amſtelodamenſis*, in urbe patria Paſtor zeloſus & ſtrenuus veritatis, juſtitiæ & libertatis eccleſiaſticæ propugnator.

29. 1602. Paulus Montius *Duacenas*, civitati ſuæ à ſecretis, feliciſſimus linguarum græcæ, latinæ, hiſpanicæ & italicæ in gallicam interpres. Inter cætera in gal-

gallicum traſtulit *Dorothei Sermones*, *Confeſſiones B. Auguſtini*, *varia Opuſcula Granatenſis*, &c. qui & inſuper reliquit proprii ingenii fætus 1. *Commentarios in Orationem Dominicam* ex variis aucthoribus. 2. *Bellum Chriſtianum*.

30. 1699. Cornelius vander Meer *Berckhoutanus*, in Boreali Hollandia unus ex quatuor germanis fratribus Oratorii D. J. Presbyteris, qui ad vineam Batavicam evocati prope locum natalem *Berckhout* ex divite ſuo patrimonio ædificaverunt amplam domum, è qua diligenter ac induſtriè in 7. vel 8. vicinioribus pagis plebi Catholicæ pabulum Verbi Divini & Sacramenta adminiſtrabant, & in domo ſua velut occulto gymnaſio aliquot ſelectos juvenes litteris humanioribus, Philoſophicis & tandem Theologicis imbuebant.

1681. Guilielmus Huygens *Liranus*, Gummari frater germanus S. T. L., Eccleſiæ Cathedralis Gandavenſis Canonicus & Scholaſticus ſeu ſcholarcha nec non Religioſarum S. Barbaræ Director, vir tota civitate Gandenſi nominatiſſimus ob ſanctimoniam vitæ & labores. Erat diligentiſſimus in officiis chori habens inſuper confeſſionale in ipſa eccleſia Cathedrali, ubi prodigia converſionum per eum operatus eſt

eſt Dominus. Sanctiſſimè dirigebat Moniales S. Barbaræ, perſeveratque ab eo tempore uſque hodie bonus Chriſti odor in iſta Parthenone. Indefeſſus viſitabat omnes ſcholas vaſtæ civitatis, quibus alias ſeptem ſcholas pauperum adjunxit & ſapientiſſimis legibus inſtruxit. Plura de hoc viro lege in vita illius, quæ præfixa eſt libro ab eo conſcripto & poſtmodùm edito cum titulo : *Epiſtolæ & piæ cogitationes Guilielmi Huygens.*

30. 1690. Ludovicus Flemalle *ab Eſſeneux*, S. T. L. ex Profeſſore Philoſophiæ, in qua olim Lovanii *Primus* fuerat renuntiatus, Braniæ Allodii Diœceſis Namuranæ Paſtor & Paſtorum Decanus, vir ſanctiſſimus & ſpiritu ac zelo paſtorali ad ſtuporem animatus. 1. Per frequentes catecheſes, conciones ac libellos principia ac regulas fidei ac vitæ Chriſtianæ exponentes propriis ſumptibus ſubminiſtratos diſpulit ignorantiæ tenebras. 2. Feliciſſimè laboravit in vitiis extirpandis; nam ebrietates, impudicitias, turpiloquia, choreas & utriuſque ſexûs conventicula ita opportunè importunè inſectatus eſt, ut paucos Branienſium reperias, qui non ab illis adhorreant. 3. Orationem matutinam ſummo manè introduxit, ad quam in templum magna pars plebis

confluit. 4. In quotidiano Sacro Parochiali ad elevationem S.S. Hoſtiæ pulſatur major campana; qui ſacro intereſſe non poſſunt, ad ſonum campanæ in genua proruunt, ubicumque fuerint, etiam in agris ſtivam ducentes, ut ſe uniant Sacrificanti, ſtupentibus extraneis, qui per vaſtam Parochiam iter inſtituunt. Cujus rei teſtis ſum oculatus: nam cum ab aliquot annis circa Braniam neceſſitatis cauſa tranſiens in taberna paulisper ſubſiſterem videremque mulierem, quæ lac in butyrum denſabat, ſubitò in genua procumbentem, peteremque à ſurgente, quid hoc ſibi vellet, respondit: Hoc jam olim nos docuit ſanctus noſter Paſtor Flemalle. Haberetur hìc ut impius, qui idem non faceret ad illum pulſum campanæ.

NOVEMBRI.

2. 1635. R. P. Joannes Evangeliſta *Sylvæducenſis*, magni nominis Capucinus & ſanctus novitiorum Lovanii inſtitutor, quondam etiam Guardianus & Definitor. Scripſit varios tractatus myſticos, inter quos eminet libellus cum titulo: *Diviſio animæ ac ſpiritûs, ſive anagogicus, ſponſæ ad oſculum ſponſi*

Digitized by Google

ſi per amoris ſchalas adſcenſus, quem libellum eximius Doctor Libertus Fromondus notulis illuſtravit.

2. 1724. Jacobus Krys *Amſtelodamenſis* J. U. D. Prothonotarius Apoſtolicus, Officialis Harlemenſis, & in urbe patria Paſtor. Fuerat olim in prima linea Lovanii honorificè promotus, & comes illuſtriſſimi Coddæi ad S. Sedem. Ardebat in hoc viro zelus ingens pro juribus Eccleſiæ Batavicæ, & præſertim pro ſalute plebis ſibi commiſſæ, quin & in longinquas terras extendebat ſe zelus iſte ſalutis animarum, adeò ut ad ipſos Chinenſes magno ſumptu ſuo libros ſacros deferri curaverit. Scripſit etiam nonnulla, inter quæ extat tractatus ſermone vernaculo *de Sacramento Confirmationis*.

3. 1696. Guilielmus Blanche *Transmoſanus*, J. U. Doctor & S.S. Canonum Lovanii Profeſſor & Anteceſſor primarius, vir doctus & integerrimus. Potenti ſua facundia & grandi zelo in lectionibus publicis jurium candidatos à ſæculi vanitate & luxuria ſæpenumerò avocabat judicans, triplex *Corpus* illis ſedulò evolvendum, nimirum juris *Civilis*, juris *Canonici*, & *S.S. Bibliorum*. Numquam vir humillimus induci potuit ad ſacros Ordines ſuſcipiendum, etſi in habitu clericali ſanctiſſimè vi-

veret, ſemper in parochia ſua ſacris concionibus & divinis officiis fideliſſimè aſſiſtens, toto anno feriis quartis in honorem B. M. V. à carnibus abſtinens & ſtatutis jejunii diebus ſecundùm *Canones* uſque ad veſperam jejunans unica refectione contentus. Viduarum, pupillorum & pauperum pater magnam redituum ſuorum partem ſingulis annis in egenas familias profundebat. Hinc in morte ejus egentium ſingultus toto Lovanio notus.

3. 1708. N. Blanche Concilii Brabantini Senator, digniſſimus & celeberrimus germanus frater Guilielmi intimè unitus ſectantibus puriorem doctrinam & exactiorem diſciplinam, ex quo capite noſcitur etiam aliquas repulſas & alia cum gaudio paſſus.

1727. Joannes Hyacinthus de Haen *Moſacenſis*, præclarus theologus Lovanienſis, qui exactionem *Formularii* & *Conſtitutionis* fugitans ivit ad Clerum Batavicum, & evaſit zeloſiſſimus Vice-paſtor ſeu Capellanus Hagæ-comitanus.

4. 1650. Franciſcus Zypæus *Mechliniæ* natus, ſed Antverpiæ renatus, adoleſcens Lovanii inter magiſtros artium quintum locum obtinuit, & juris ſtudio dein ſe applicuit, in quo licentiæ gradum

gradum adeptus factus eſt Canonicus, Officialis & Archi-diaconus Antverpienſis, vir eleganti ingenio, moribus politis & utriuſque fori jure uſuque inſtructus. Scripſit varia, inter quæ ſunt: 1. *Jus Pontificium novum ſive analyſis poſtremi Juris Eccleſiaſtici.* 2. *Modus ac ratio procedendi in curiis eccleſiaſticis.* 3. *Notia Juris Belgici*, &c.

4. 1702. Jacobus Boudart *Binchienſis* S. T. L., ex Profeſſore Philoſophiæ apud Grudios Canonicus Theologalis Eccleſiæ S. Petri in Civitate Inſulenſi, veritate & eruditione apud omnes ſpectabilis. Extat ejus *Theologia ſcholaſtica* non ignobilis ſex tomis in 8. ſæpius typis commiſſa, item *Catechiſmus*, & alia nonnulla.

6. 1692. Joannes de Groot *Grootbroekanus*, Archi-presbyter Kennemariæ, & virginum Harlemi in Angulo doctus ac humilis Rector. Scripſit ſermone vernaculo librum *Concionum*, item alium *de Inſtitutione Puellarum.*

7. 1670. Fredericus van Marſelaer *Antverpienſis*, J. U. L., ex antiquiſſima Marſelariorum tam toga quàm ſago illuſtrium proſapia Baro de Parcq, &c. Regi à Conſiliis Belli, urbis Bruxellenſis ſeptimùm Conſul, vir hiſtoriæ & politioris litteraturæ ſcientiâ inſigniter

niter inſtructus, quem olim urbs Lovanienſis & potiſſimùm Univerſitas vehementer optabat habere Prætorem ſeu Majorem, cùm Majoratus Lovanienſis ſit valde honorifica & totius Brabantiæ vetuſtiſſima Prætura. Vixit in grandi vigore annis 83. Scripſit tres celebres libros *de legationibus.* Primus eſt *legatus ad Principes.* Secundus eſt *legatus ad Pontificem Romanum*, licet etiam in primo Opere Aula Romana vivaciter depingatur. Tertius eſt *de legatione mentis ad Deum*, quod ultimum Opus ſcripſit anno 1664. præparans ſe ad æternitatem. Erat autem hic Fredericus propinqua conſanguinitate attingens prænobilem virum Rutgerum van Marſelaer, inter Benefactores Academiæ Lovanienſis tam celebrem, ut qui ex patrimonio ſuo condidit illuſtres illas fundationes marmoreo inſcriptas monumento, quod in Schola Juridica Lovanii conſpicitur.

7. | 1677. | Andreas Cæſarius *Roelevaert-venenſis*, Paſtor Hagæ-comitanus, qui & laborioſæ iſtius ſtationis & vicinorum pagorum *Eykendunæ* ac *Schevelingæ* inter medias perſecutiones per 32. annos curam indefatigabilis obivit.

8. | 1727. | Joannes Baptiſta vander Heyden *Lovanienſis*, olim in generali Philo-

ſo-

Digitized by Google

ſophorum concurſu ſecundo loco promotus evaſit doctus Theologus in S.S. Litteris præ cæteris verſatus, qui ad declinandam tum Formularii tum Conſtitutionis Unigenitus acceptationem Clero Batavico Romano-Catholico adſcribi voluit, factus tandem Paſtor in oppido Brielenſi, ubi vir zelo Dei plenus unicè intentus orationi S.S. Scripturarum meditationi, mortificationi, Verbi Divini prædicationi nec non rudium (quos ſingulo die Martyribus Gorcomienſibus Brielæ paſſis tamquam potentibus interceſſoribus commendabat) inſtructioni primo bimeſtri *Conſummatus in brevi explevit tempora multa.*

9. 1642. Rumoldus Medenblikius, nomen habens ab oppido *Medenblik* in Hollandia boriali S. T. L., vir religioſus, eruditus & laborioſus, à Sasboldo conſtitutus anno 1606. Paſtor Leidenſis & Rhenolandiæ Archi-presbyter non ſolùm curam egit Catholicorum in ea civitate cum duobus tantùm Vice-paſtoribus, verùm etiam per totum Dominium Alkemadianum excurrens ſanos pane Verbi Divini paſcebat, & ægros extremis Sacramentis recreabat, paſſus & carcerem & exilium.

1736. Leonardus Ferron *Oſtendanus* Oratorii

torii D. J. Presbyter, quondam zeloſiſſimus Superior & Paſtor Kevelarienſis, deinde Superior & Paſtor S. Joannis Mechliniæ nec non ſuæ Congregationis Aſſiſtens, multa & gravia paſſus per annos 9. ob non acceptatam Conſtitutionem UNIGENITUS, quam tamen circa finem anni 1726. tandem ſubſignavit in æde Cardinalis Archi-epiſcopi.

10. 1634. Joannes van Seſtigh *Mechlinienſis* J. U. Doctor Lovanii Regius Decretorum Profeſſor & Canonicus ad S. Petrum, vir variè & curioſè doctus, inter benefactores & fundatores Academicos numerandus. Edidit *Novam rationem tradendi Juriſprudentiam.*

11. 1604. Philippus Gæringus *Trudonopolitanus*, Medicus civitatis Leodienſis. Edidit *Deſcriptionem fontis Spadani*, item *Fontis Ferrati Tungrenſis.*

1700. David vander Meye *Amſtelodamenſis*, ex celebri cauſarum patrono Aulæ Hagæ-comitanæ Sacerdos factus, ut velut alter Ivo viduarum pupillorumque eſſet defenſor, poſt mortem Lamberti Hofmanni aſſumitur ad curam virginum Begginaſii in urbe patria, eligitur Canonicus Harlemenſis, & creatur Archi-presbyter Amſtelandiæ.

13. 1721. Cornelius Stakenburch *Ultrajectinus* ex

ex 't Wael, J. U. L., per 56. annos B. M. civilis Ultrajecti ſedulus & indefeſſi laboris Paſtor, Capituli Ultrajectenſis Canonicus & Vicarius Generalis.

13. 1724. Martinus Stephanus van Velden *Hagæ-comitanus*, quondam in concurſu IV. Pædagogiorum Lovanii *Primus* proclamatus, deinde in ea Academia Philoſophiæ & Matheſios Profeſſor eximius & famæ numquam intermorituræ, cujus induſtria & cura potiſſimè effectum eſt, ut in Philoſophia Grudia, materiis inutilibus reſecatis, aliæ utiles & ad commune bonum conducentes ſubſtitutæ ſint. Obiit Trifundiarius Leodienſis.

1738. Guilielmus Fredericus van Dalenoort *Ultrajectinus*, Capituli Ultrajectenſis Canonicus & Decanus, Delflandiæ Archi-presbyter ac Paſtor Hagæ-comitanus, vir clari ingenii, maturi judicii, zeli luminoſi ac eruditi, conſilio promptus ac providus, ſuaviſſimis moribus præditus, *operarius inconfuſibilis*; qui oves ſuæ curæ concreditas verbo & exemplo annis 50. indefeſſus pavit, nihil de primo ſuo zelo remittens licet octogenarius, inſuperque & ſe & ſua omnia pro Eccleſiæ Batavæ juribus ac libertate impendit ac ſuperimpendit.

Dies.	*annus*	
14.	1659.	Auguſtinus Alſtenius Bloemertius *Harlemenſis* J. U. D. Canonicus & Sacellanus Curatus in civitate patria, operarius ſtrenuus, pacificus & rectè tractans verbum veritatis. Scripſit librum *Sermonum ſuper Evangelia dominicalia & feſtiva totius anni.*
15.	1664.	Judocus Verkampen *Borealis Hollandus*, olim Lovanii in IV. Pædagogiorum concertatione declaratus *Primus.* Factus Paſtor Alcmarienſis & Archi-presbyter conſcripſit *Exactum ſtatum Parochiarum ſui diſtrictûs.*
	1738.	Joannes Adrianus van Beth *Endovienſis*, laicus & cælebs, olim in copiis Reipublicæ Batavicæ Officialis. Ultimos 37. vitæ ſuæ annos jugiter Evangelii pabulo ſe nutriens & ad cæleſtem patriam anhelans in magna ſanctitate & ſumma vitæ auſteritate traduxit ſemper uſûs conſilio ac directione virorum, quos purioris doctrinæ, exactioris diſciplinæ & *bonorum operum* noverat eſſe *ſectatores* : obiit autem placidiſſimè ſine morbo in oratione ſua matutina genibus flexis Amersfurti, quò ex Brabantia, ubi habitabat, ſe receperat occaſione Conſtitutionis UNIGENITUS, à cujus acceptatione totus erat aliënus.
16.	1694.	Theodorus de Brias Archi-epiſcopus Cameracenſis, vir amans veri & recti,

Digitized by Google

ti, qui pacificè vaſtam Diœceſim gubernavit; & ſapientiſſimis Decretis, ut quies publica Montibus turbata reſtauraretur, molimina factioſorum hominum contra Oratorium Montenſe annis 1690. 1691. & 1692. ſolerter & vigorosè compeſcuit.

16. 1727. Laurentius Tydghad, vulgò *Tygaug*, *Oſtendanus*, Oratorii D. J. Presbyter, vir acuti ac lepidi ingenii, bonus theologus & politioris litteraturæ ſcientia apprimè inſtructus, cum multis confratribus ſuis ad evadendam tum Formularii juxta VINEAM DOMINI ſubſcriptionem, tum Bullæ UNIGENITUS acceptationem è patria egreſſus. Edidit quaſdam ſcriptiunculas, quibus cœperat carminare Tilemannum Backhuſium & alios nonnullos: at præmatura mors conatus ejus abrupit.

17. 1619. Bernardus Bauhuſius *Antverpienſis*, Societatis Jeſu Presbyter, elegantiſſimus Poëta & diſertiſſimus ad Sodales Lovanii præco, quem Cornelius Janſenius, poſtea Iprenſium Epiſcopus, dum ſtudebat Philoſophiæ, ſibi directorem delegerat. Extant ſelectiſſima ejus *Epigrammata* & alia nonnulla V. G. *Protheus Parthenius*, &c.

19. 1645. Diodorus Tuldenus *Sylvæ-ducenſis*, J. U. in Academia Lovanienſi Doc-

Digitized by Google

tor ac Legum Profeſſor primarius, indeque in magno Belgii Concilio Mechliniæ Senator, ſcripſit multa, quæ inveniuntur in ſecundæ editionis *Bibliotheca Belgica*. Inter illa ſunt 1. *Socraticæ Diſſertationes*. 2. *De principiis juriſprudentiæ* libri IV. 3. *Commentarium in Inſtitutiones Imperiales*. 4. *Comment: in Codicem Juſtinianæum*. 5. *De extemporali juriſprudentia, ſive regulis juris*. 6. *De cauſis & remediis corruptorum judiciorum*. 7. *De ſui cognitione* libri V. &c.

20. 1609. Zacharias Lippeloius *Antverpienſis*, è jurium Baccalaureo adſcriptus Carthuſiæ Colonienſi, ubi, dum in bonum Eccleſiæ laborare incipit, extinguitur anno ætatis 33. Redegit in compendium & 4. tomis in 8. edidit vaſta volumina Laurentii Surii de vitis Sanctorum.

21. 1620. Maximilianus Vignacurtius patricius *Atrebatenſis*, & Palatinus Regius. Edidit egregium librum *de cauſis, calamitatibus & remediis tumultuum Belgicorum*. Scripſit & *de Rebus Belgicis anni* 1598. & alia nonnulla.

22. 1667. Gaſpar Nemius *Sylvæ-ducenſis*, ex Doctore theologo Academiæ Duacenæ Epiſcopus Antverpienſis ac deinde Archi-epiſcopus Cameracenus, vir egregia divinarum litterarum cognitione

tione præditus, prudentia aliiſque dotibus conſpicuus, qui & verſionem Novi Teſtamenti vulgò dictam *Montenſem* approbavit; jam mitra ornatus & ante Epiſcopatum quoſdam haud contemnendos proprii ingenii fœtus poſteris dereliquit: nam præterquam quòd clariſſimi Viri Guilielmi Eſtii *Notationes in univerſa Biblia* ipſe typis Duaci commiſerit & inſignem operam in evulgandis ejuſdem Eſtii in Magiſtrum Commentariis navaverit, extant variæ luculentiſſimæ *Orationes tum in Quodlibeticis*, ut ajunt, *quæſtionibus*, tum aliàs à Nemio habitæ.

24. | 1724. Laurentius de Jonge *Dordracenus*, Medicinæ celeberrimus Doctor, Capitulo & Clero Ultrajectino indivulsè inhærens, qui ob inſignem ſuam humanitatem & felicem in medicando praxim magnis & parvis, Catholicis & Acatholicis, atque adeo urbis ſuæ nobiliſſimo Magiſtratui erat in veneratione.

29. | 1712. Joannes Janſſens Elinga *Gandenſis*, Oratorii D. J. Presbyter, olim facundiſſimus per annos 17. & zeloſiſſimus Paſtor Oſtendanus, vir cedere neſcius, quando contra veritatem vel diſciplinam eccleſiaſticam movebatur quæstio. Unde & paſtoratum anno 1684. deſeruit, ne quid per violenta guber-

natricis tentamina diſciplina pateretur.

29. 1720. Joannes Opſtraet *Beringanus*, S. T. L. Regens Pædagogii Falconenſis Lovanii, per plurima ſcripta ſua & per ea quæ paſſus eſt, notiſſimus, vitæ autem ac morum integritate & ſanctitate ipſis etiam adverſariis ſuis venerabilis. Inter libros ab eo conſcriptos eminent 1. *Theologus Chriſtianus*. 2. *Paſtor bonus*, Archi-epiſcopi Colbertii & Capituli Rothomagenſis cura etiam olim evulgatus. 3. *Diſſertatio theologica de converſione peccatoris*. 4. *Diſſertatio theologica de praxi adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ*. 5. Opus in quarto complectens *XVII. Denuntiationes doctrinæ Jeſuitarum Anglorum*, qui anno 1699. erant introducti in Catenam ſeu ſeminarium Leodienſe. 6. *Ad tyrones inſtitutio theologica*, in tres partes diviſa. 7. *Locus Tridentini de laborioſo Baptiſmo vindicatus*, *&* *Doctrina de laborioſo Baptiſmo*, ubi per plures tomos fuſiſſimè iteratò aſſeruntur, quæ de operibus præparatoriis, de certitudine morali, &c. in pluribus ſcriptis docuerat. His addi poſſent tractatus penè innumeri, quos eleganti ſtylo & incredibili perſpicuitate compoſuit & prælo commiſit ſuper variis materiis inter Catholicos controverſis, ſignanter poſt

edi-

Digitized by Google

editam Bullam VINEAM DOMINI circa Formularium Alexandri VII. & Conſtitutionem UNIGENITUS. 8. Noſcitur ſcripſiſſe grande Opus in *totam Summam Theologicam Angelici Doctoris*, cujus poſt mortem clariſſimi ſcriptoris jam variæ partes lucem vident.

30. 1636. Henricus Philippi *Arduennas ex S. Huberti*, Societatis Jeſu Presbyter, vir curioſus & doctus Chronologus, à quo extant inter cætera 1. *Introductio Chronologica.* 2. *Tractatus de Olympiadibus.* 3. *Quæſtiones Chronologicæ de annis Domini, Julianis, Nabonaſſari & æra Juliana componendis.* 4. *De annis nati & paſſi Salvatoris.* 5. *Chronologia Veteris Teſtamenti.* 6. *Notæ & quæſtiones Chronologicæ in Pentateuchum, in Prophetas*, &c.

DECEMBRI.

1. 1626. ANtonius de Hênin *Valencenenſis*, ex Paſtore S. Nicolai in Civitate Iprenſi quintus ejuſdem urbis Epiſcopus. Inter zeli ejus monumenta eſt *Theologorum ſeminarium Hêninianum* in Academia Duacena ab ipſo erectum & fundatum.

2. 1639. Henricus de Coutereau Toparcha de *Weſtmale*, *Zoerſel*, &c. eruditorum viro-

virorum amans, qui ex amore illo illuſtres fundationes adjecit collegio S. Willebrordi apud Grudios.

4. 1633. Moritur Bruxellis Sereniſſima Hiſpaniarum Infans & Belgarum Princeps religioſiſſima Iſabella Clara Eugenia Alberti Pii vidua & Philippi II. Hiſpaniarum, & Indiarum Regis filia, condito & juridicè concluſo exemplari teſtamento, quod propria manu conſcripſerat, conſtitutis dicti teſtamenti executoribus Jacobo Boonen Archi-epiſcopo Mechlinienſi, Antonio Trieſt Epiſcopo Gandavenſi, Franciſco de Melo pòſt Belgii Gubernatore, Duce Havræano, Comite Noyellio, &c.

6. 1619. Franciſcus Coſterus *Mechlinienſis*, ab ipſo S. Ignatio Loyola anno 1551. in Societatem admiſſus eſt, obiitque pius, doctus & indefeſſus operarius Bruxellæ anno ætatis ſuæ 88. Scripſit plurima partim latinè partim flandricè, tum ad informandos orthodoxos, tum ad Calviniſtas redarguendos, quæ vide enumerata in Bibliotheca Belgica Valerii Andreæ & in Catalogis Scriptorum Societatis Jeſu. Inter illa ſunt 1. *Annotationes in Novum Teſtamentum.* 2. *Uberes & doctæ Conciones in Dominicas & Feſta totius anni.* 3. *Meditationes quinquaginta de Paſſione Domi-*

minica. 4. *Enchiridion controverſiarum præcipuarum in religione*, &c.

6. 1703. Joannes de Cuyper *Bruxellenſis*, S. T. L. Eccleſiæ Metropolitanæ Mechliniæ Canonicus Graduatus & Decanus, Examinator ac Judex Synodalis nec non librorum cenſor, vir acerrimi ingenii, ſtudii aſſidui & zeli animarum incredibilis. Obtinuerat olim in ſolemni artium promotione primæ lineæ locum quartum. Inde poſt finitum theologiæ curſum ſacram ſcientiam Villarii docuit, unde Lovanium revocatus gymnaſio S.S. Trinitatis præfectus eſt; ſed ab agnis ad paſcendas Chriſti oves virum vocat Illuſtriſſimus Alphonſus; quod per annos undecim cum ingenti fructu Bruxellis præſtitit ad S. Catharinam, conſtitutis piis doctiſque Vice-paſtoribus, inſtitutis inſtructionibus, quibus vel ad primam Communionem vel ad Sacramentum Confirmationis tenella ætas diſponeretur, variis inſuper catechiſmis, & conciuncula matutina in commodum famulantium: aſt toti Archi-diœceſi volebat excellentem operarium intendere Archi-præſul. Itaque Capitulo Metropolitico adſcribitur & præficitur, ubi plurimæ ei fuerunt devorandæ calumniæ & odia multa perferenda; cùm nullis preci-

Dies.	annus	
		bus, nulla importunitate, nulla Potentium interceſſione poſſet moveri, ut à recta juſtitiæ ſemita declinaret; ſed honeſta & Chriſtiana libertate ab Ordinibus & muniis ſacris arceret omnes indignos. Zelum charitatis, quo ſemper æſtuaverat, etiam ultimis tabulis teſtatus eſt, quibus pauperes Eccleſiæ S. Catharinæ Bruxellis, qui catechiſmum frequentant, & pauperes parochiæ S. Rumoldi Mechliniæ ex aſſe ſcripſit hæredes.
7.	1724.	Amandus Bauwens *Gavrienſis*, J. U. Doctor & ex Philoſophiæ Profeſſore Legum Anteceſſor primarius, Juris publici Profeſſor Regius ac Cæſareus nec non collegii S. Donatiani Præſes, exactioris diſciplinæ cultoribus amicus, & tranquillitatis Academicæ ſincerus amator. Ad lectionem *Juris Publici*, quæ unica Lovanii deëſſe videbatur, recenter fundatam à Cæſare evectus Jus illud non ſolùm cum ſumma facundia & cum ardentiſſimo ſtudioſorum concurſu explanavit; verùm etiam ſcriptis publicis illuſtravit & illuſtraſſet uberiùs, ſi ætas ei longior obtigiſſet.
9.	1691.	Hieronymus le Paige ex Paſtore de Corbeke creatur apud Mechlinienſes eccleſiæ S.S. Petri & Pauli Paſtor & Paſtorum iſtius tractûs Decanus. Quàm

Quàm fuerit bonus Paſtor, experta eſt Corbeca, ubi ſubditis contagio correptis in extrema victualium penuria adſtitit die ac nocte indefeſſus ære, piis monitis, Sacramentis, donec ipſe peſtilentia infectus eructavit hoc S. Martini: *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, fiat voluntas tua.* Et ecce mox, carbone peſtifero ſuffucato, ſanatur ac deinde evocatur Mechliniam, ubi ſe oppoſuit *murum æneum* contra inveteratos abuſus; nam generoſa libertate induerat patronum *Hieronymum*, ſed quia ſuavitate ſimul ſpirabat *Bernardum*, inter cætera mirabilis extitit in pacificandis diſcordibus.

10. 1690. Adrianus de Vadder *Bruxellenſis*, Oratorii D. J. Presbyter, doctus & infatigabilis confeſſarius in eccleſia S.S. Michaëlis & Gudulæ Bruxellis, pauperum, & ægrorum viſitator ac conſolator eximius. Obiit in optimo Chriſti odore, ululantibus egenis, dum funus efferebatur.

13. 1671. Vopiſcus Fortunatus Plempius *Amſtelodamenſis*, in Univerſitate Bononienſi Medecinæ Doctor & ut *talis* admiſſus Lovanii, prævia tamen diſputatione publica abſque Præſide & perſolutis juribus conſuetis. Quin & primaria medicinæ lectio ipſi fuit col-

 lata,

Digitized by Google

lata, innoteſcente ſumma illuſtris viri in medendi arte peritia. Cæterùm cùm ambigerent nonnulli, an rectè ſentiret circa fidem Catholicam, declaravit eum orthodoxum Romanus Pontifex Alexander VII. peculiari Brevi ad ipſum directo. Unde & quater geſſit ſupremum Academiæ Grudiæ Magiſtratum Rector Magnificus. Inter multa, quæ vir celeberrimus in lucem emiſit ſunt 1. *Ophthalmographia*, ſive de oculi fabrica, actione & uſu. 2. *Fundamenta medicinæ*. 3. *Nova Operum Avicennæ ex Arabico interpretatio.*

14. 1728. Jacobus Soenens *Gandenſis*, J. U. L. Eccleſiæ Cathedralis in urbe patria Canonicus graduatus, vir eminentis pietatis, diligentiſſimi ſtudii & tenerrimæ charitatis erga pauperes & afflictos, in quos noſcitur immenſas penè ſummas effudiſſe, hoſpitalis inſuper & munificus erga viros, quos noverat occaſione controverſiarum & commotionum eccleſiaſticarum jam pridem in Galliis & Belgio ferventium divexari. Unde & odioſo *Janſeniſmi* nomine palam traducebatur, permiſſus tamen eſt mori tranquillè, quin & ipſe Gandavenſium Antiſtes Philippus Erardus exequias ejus ſua præſentia honoravit.

Gui-

Dies.	*annus*	
14.	1731.	Guilielmus Renardi *Hermalienſis*, ex præclaro Philoſophiæ Profeſſore in Alma Univerſitate Lovanienſi S. T. Doctor, Sacræ Facultatis Regens, catecheſios Profeſſor Regius, nec non collegii Bajani pervigil & œconomicus Præſes, vir pius, doctus & exactioris doctrinæ ac diſciplinæ cultor: qui (etſi pontificiæ infallibilitatis in materia fidei ac morum eſſet apertus & perpetuus aſſertor ac propugnator) deplorabat tamen, per ſubdolos homines *ob* & *ſubreptitiè* à ſummis Pontificibus varia extorqueri, & dum in familiari congreſſu ſuper nonnullis Conſtitutionibus cum eo differebant quidam fidi amici, quorum unus ipſe eram; candidè & dolenter erupit in hæc verba: *Quid ego dicam? jam à multis annis ſumus Doctores Bullati, quia magnam partem temporis (quod S.S. Litteris & S S. Patribus Conciliisque evolvendis eſſet conſecrandum) cogimur impendere ad explanandas & vindicandas Bullas Pontificias.*
16.	1601.	Joannes Bernartius *Mechlinienſis*, J. U. L. in magno Concilio Mechliniæ cauſarum patronus, quem Juſtus Lipſius *Belgarum Florem* appellabat: at hunc florem præproperè mors ſuccidit nempe anno ætatis ejus 34. Extant interim grandis ingenii hæc monumen-

 numen-

Digitized by Google

numenta: 1. *De utilitate legendæ Hiſtoriæ* libri duo. 2. *Commentarius & notæ in Boëthium de Conſolatione Philoſophiæ*. 3. *Oratio* ab ipſo habita *in funere Michaëlis Baji*. 4. *Oratio* etiam ab ipſo habita *in funere Joannis Hauchini Archi-epiſcopi Mechlinienſis*. 5. *Commentariolus de Lirani Oppidi ab Hollandis occupati liberatione*. 6. *Recenſio Operum Statii Papinii, & in ea ſcholia*. 6. *Commentarius in Sylvas ejuſdem Poëtæ*, &c.

16. 1705. Gerardus Potcamp ex *Borne* Tubantiæ vico, ex Paſtore & Archi-presbytero Lingenſi creatur menſe Novembri 1705. per Fœderatum Belgium Vicarius Apoſtolicus, qui dum diſperſas oves ad legitimos ſuos Paſtores reducere incipit, ex defectu virium optimus ſenex ſibi præſentiſſimus moritur. Extat inſignis ejus *Epiſtola Paſtoralis* biduo ante obitum ad omnes Operarios in Vinea Batavica deſtinata.

1719. Ægidius Smet *Thamiſienſis*, præclariſſimus ac zeloſiſſimus per annos 46. loci natalis Paſtor, & bonus Oratorii D. J. per Provinciam Archi-epiſcopatûs Mechlinienſis Præpoſitus, quàm diu bonis uſus conſiliis rexit.

18. 1710. Petrus Codde *Amſtelodamenſis*, Oratorii D. J. Presbyter, Archi-epiſco-

pus

pus Sebaſtenus & per Fœderatum Belgium Vicarius Apoſtolicus. Fuerat olim Lovanii inter primos primæ lineæ in conſueta Philoſophorum concertatione promotus ac dein Philoſophiæ factus Profeſſor, vir doctus, pius, placidus ac mirè facundus, à qua ſparta poſt luſtratam Franciam per Epiſcopum Neercaſſelium ad operandum in Vinea Batavica invitatus, fuerat conſtitutus Paſtor Ultrajecti ad S. Gertrudem & inter Provicarios coöptatus. Vertit varia è gallico in idioma vernaculum quod perfectiſſimè ſcribebat. Initio autem ſui regiminis Epiſcopalis edidit pulcherrimam, eruditiſſimam ac ſuaviſſimam *Epiſtolam Paſtoralem*, quam poſtmodùm plures aliæ ſunt ſubſecutæ. Extant quoque plures *ejus Epiſtolæ*, quas Româ redux ad ſedandos motus exaravit, uti & celebris *Denuntiatio Apologetica*. Calumnias omnes ab adverſariis ſparſas Romæ ſic protrivit, ut morti propinquus etiam ſignato ſcripto ſit proteſtatus, nihil umquam ſe difficultatis paſſum niſi circa meram de *facto Janſeniano* quæſtionem, de quo cum ipſi ſuborta eſſet dubitatio, recuſavit tum in ipſa ſui conſecratione tum uſque ad vitæ exitum famoſo Formulario Alexandri VII. ſubſcribere, niſi

cum

cum diſtinctione *juris* & *facti*, veritus, ne ſi ſecus faceret, infando perjurio conſcientiam macularet, damnans interim ſincerè, purè ac ſimpliciter famoſas quinque Propoſitiones, ubicumque eæ reperiuntur, etiam in AUGUSTINO Janſenii, ſi illo libro contineantur.

18. 1720. Ægidius Robyns *ex Melderen* prope Affligemium, diligentiſſimus in primaria urbis Bruxellenſis eccleſia confeſſarius, zeloſiſſimus ægrorum maximè pauperum viſitator ac conſolator, & ſtrenuus antiquæ doctrinæ ac libertatis Oratorii in ſubortis nuper diſſidiis uſque ad extremum halitum defenſor.

19. 1634. Georgius Chamberlain *Gandenſis*, ſextus Iprenſium Epiſcopus, vir eruditus, comis & pius, qui carnem ſuam cilicio domabat, mentem quotidianis meditationibus recreabat, & oves ſibi creditas toto Epiſcopatûs tempore hoc eſt integro ſeptennio per ſe concionibus ſacris & virtutum exemplo diligentiſſimè pavit.

21. 1675. Petrus de Walenburch *Rotterodamus*, Epiſcopus Myſienſis Suffraganeus primùm Moguntinus ac dein Colonienſis, germanus frater Adriani, cum quo in Galliis juris utriuſque lauream conſecutus, cum eodem è Francia re-

dux

Digitized by Google

dux ſtudiis theologicis tam indefeſſo labore incubuerat & ſignanter primariorum proteſtantium Opera ſic evolverat, ut eorum erroribus detectis & feliciſſimè confutatis plurimos ad ſinum Eccleſiæ reduxerit. De ſcriptis autem Walenburchiorum vide ad 11. Septembris. Petrus, fundatis ex ſuo fratriſque peculio in commodum ſtudioſorum gentis ſuæ burſis ſex, ſine pompa ſepeliri voluit in eccleſiâ Presbyterorum Oratorii Colonienſis, quæ eſt eccleſia parochialis S. Joannis Evangeliſtæ.

22. 1621. Adrianus Schrieckius *Brugenſis*, Sereniſſimis Belgarum Principibus à conſiliis, vir doctus & omnibus ſui temporis viris doctis amicus, qui poſt geſtas varias præturas tranſegit reliquum vitæ ſuæ tempus maximè in otio litterato Ipris. Extat famoſum Opus ejus *Originum Celticarum ac Belgicarum*, pro cujus defenſione edidit *Monita ſecunda*, item *Europam redivivam*, & *Adverſaria*, quibus paradoxum ſuum de lingua celtica tamquàm poſt hebraïcam prima nititur vir ingenioſus ſtabilire. Quidam ponunt obitum ejus 26. Decembris.

25. 1611. Petrus Pantinus *Tiletanus* Flander, græca latinaque lingua & oratione tum ſoluta tum ligata doctiſſimus, qui

Digitized by Google

Dies. | annus

etiam græcas litteras publicè docuit Toleti. Hinc à Philippo II. Hiſpaniarum Monarcha Decani dignitate ad S. Gudulam Bruxellis cohoneſtatus cum Sereniſſimo Alberto Pio in Belgium rediit, eidem Archi-duci à ſacris. Varia S.S. P.P. *Methodii*, *Athanaſii*, *Amphilochii*, *Chryſoſtomi*, &c. è græco tranſtulit in latinum. Scripſit quoque *de dignitatibus & officiis Regni ac Domûs Regiæ Gothorum*, & alia plura.

25. 1639. Elizabetha van Schore *Lovanienſis*, præclara ac ſapiens Ludovici J. U. in Academia Grudia Doctoris & poſtea Conciliorum ſecretioris Statûſque Præſidis filia. Tanto zelo ardebat, ut juniores theologi *honeſtè* ac *ritè* inſtituerentur ad operandum in vinea Domini, ut ex peculio ſuo legaverit trecentos florenos annuè in augmentum bonorum communium Collegii Adriani VI. Pontificis.

26. 1636. Andreas Vallenſis, vulgò Delvaux *Andanenſis*, in Academia Lovanienſi J. U. Doctor, Decretorum Profeſſor Regius & S.S. Canonum ordinarius: provinciam illam cum laude ſuſtinuit in docendo conſtans, in conſulendo ac judicando ſincerus. Edidit *Paratitla ſive ſummariam & methodicam explicationem Decretalium Gregorii Papæ IX. De-*

cre-

Digitized by Google

cretis Concilii Tridentini accommodatam. Unde celebris eſt liber *Vallenſis ad Decretales.* Scripſit & alia plura, quorum pars à morte auctoris prodiit V. G. *Tractatus de Beneficiis Eccleſiaſticis*, item, *de legibus*, *de conſuetudine*, *de poteſtate Concilii Univerſalis*, *de immunitate rerum Eccleſiæ*, *conſilia in utroque jure*, &c.

26. 1729. Bernardinus Maes *Lovanienſis*, doctus, pius & zeloſus quondam majoris Begginaſii in urbe patria Capellanus, vir excellens in ſacrarum virginum anguſtiis ſanctè mitigandis & ambiguitatibus feliciter diſſipandis, qua in re per multos annos plurimùm profuit iſti Begginaſio, uti & per varios tractatus vernaculos eruditione & unctione multùm refertos, quos edidit, inter quos eminet liber, cui titulus: *Chriſtelyke Waerhéden voor de Sondagen en Feeſtdagen*, &c. item alius: *Kort Begrip der Boeken en Brieven van de H. Thereſia.* Item *Het Léven van de H. Thereſia*, &c. &c. In extremo ſenio ad evitandas ulteriores divexationes pro ſignatura Formularii juxta Bullam VINEAM DOMINI & pro acceptatione Conſtitutionis UNIGENITUS recepit ſe in Fœderatum Belgium, & obiit receptis conſuetis Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis in oppido Amersfordienſi.

27. 1614. Maximilianus Vrientius *Zandenburgius*, urbi Gandenſi à ſecretis, vir ingenioſus & inter primos Belgii Poëtas latinos computandus. Inter Opera ejus typis commiſſa ſunt. 1. *Flandriæ Comitatûs & Brabantiæ Ducatûs Urbes.* 2. *Carminum ſacrorum libri duo.* 3. *Elegiarum liber ſingularis.* 4. *Epigrammatum & Anagrammatum libri.*

1725. Andreas van Baesrode propè *Ascam* natus, Paſtor Vicarius in Molenbeca prope Bruxellas, quæ ſtatio cum eccleſia S. Catharinæ unam parœciam conſtituit, vir mirè zeloſus, exactioris doctrinæ ac diſciplinæ cultor, in concionibus ad plebem ſedulus, & in catechiſmis rudiumque ſignanter puerorum inſtructione aſſiduus.

1730. N. Tricot pientiſſimus & diligentiſſimus B. M. V. de Capella in urbe Bruxellenſi Capellanus, qui anno 1729. in generali illa commotione cum multis aliis paratus erat deſerere potiùs & patriam & omnia, quàm admittere Bullam UNIGENITUS, ſed interventu Paſtoris, grandævæ viri ætati parcitum eſt neque ulla ei mota difficultas.

28. 1608. Guilielmus Mennens patricius *Antverpianus*, Bergenſis in Flandria Toparcha, vir Philoſophiæ, Juriſprudentiæ

Dies.	*annus*	
		tiæ ac Poëtices notitiâ clarus. Recenſuit Adriani *Scorelii Poëmata poſthuma*, & ſcripſit *de Aureo Vellere, ſive ſacræ Philoſophiæ, naturæ & artis admirabilium libros tres.* Reliquit filium Franciſcum, Liræ in eccleſia collegiata S. Gummari Canonicum, qui & ipſe evulgavit librum curioſum cum titulo: *Deliciæ Equeſtrium ſeu Militarium Ordinum*, in quo reperiuntur eorumdem origines, ſtatuta, ſymbola & inſignia.
28.	1705.	Guido Stoefs *Iſchanus*, præclariſſimus Vice-Paſtor ad S. Catharinam Bruxellis, Lovanii inter primos in artibus promotus & in monaſterio Heverlæano prope Lovanium antehac exemplaris Lector. Id fuit in hoc Dei ſervo ſingulare, quòd ſpeciali Dei munere in omnibus perpetua ex corde ejus emicaret lætitia, in viſitatione pauperum & infirmorum cæteriſque laboribus paſtoralibus, in mediis perſecutionibus, quin & in graviſſimis extremi morbi doloribus, unde & vitam ſuam anno ætatis 32., quando florere cœperat cum gaudio Chriſto offerens delectabiliter mortuus eſt.
29.	1630.	Joannes Stalpardus vander Wielen *Hagæ-comitanus* J. U. L. ex celebri cauſarum coram Curia Hollandica patrono vigilantiſſimus Paſtor Delphen-

ſis & Delflandiæ Archi-presbyter. Vir hic vitam ducens Apoſtolicam non ſolùm ovibus ſuis ſermone & exemplo paſcendis, verùm etiam Religioni Orthodoxæ tuendæ totum ſe impendit. Unde & varia ſcripſit & quidem pleraque idiomate vernaculo in gratiam Catholicorum, inter illa ſunt 1. *Iter Romanum*, ubi de peregrinationibus, honore reliquiarum, invocatione Sanctorum &c. 2. *Extractum Catholicum*, quo continentur præcipua fidei capita adversùs ſectarios. 3. *Vita S. Agnetis*, ubi contemptus mundi muliebris rythmicè inſtillatur. 4. *Annus aureus* 2. tomis continens Evangelicas Cantiones in omnes Dominicas & Feſta. Diſpunxit quoque notis latinis *Annotata*, quæ Patres Societatis Jeſu contra *Concordata* ſeu articulos conventionis utrimque inter Clerum Batavicum & ſubſidiarios Regulares initæ Romæ exhibuerant.

EPI-

Digitized by Google

EPILOGUS.

ATque hìc finis eſto hujus Opuſculi. Confidimus, non defuturos (ut in Præfatione inſinuavimus) qui eamdem rem uberiùs & cum majori tum otio tum commoditate ac facilitate acceſsûs ad diarias tabulas eccleſiarum, monaſteriorum aliorumque locorum piorum exequantur; quo fiet, ut reperiant diem obitûs complurium celeberrimorum hominum noſtratium, qui ab anno 1600. in hunc uſque diem intra gremium Eccleſiæ Catholicæ ex hac vita migrarunt & Belgium noſtrum mirificè inſignibus factis vel libris conſcriptis illuſtrarunt, ſive viros ſive etiam feminas ſpectes. Dico ab anno 1600. quia ſæculis remotioribus minor adhuc videtur fuiſſe ſolicitudo & opera eximia & præſertim diem mortis perſonarum inſignium adnotandi, niſi dicamus, multa manuſcripta & cujuſvis generis monumenta apud Belgas per frequentiſſima bella, per tumultus populares & per incendia periiſſe: deceſſerunt autem poſt annum 1600. inter alios plurimos, quorum obitûs diem aſſequi non potuimus, ſequentes:

Adrianus van Meerbeek.
Andreas Hoius.
Anna Bynſia.
Antonius Perezius.
Antonius à Popma.
Antonius Sanderus.
Arnoldus Havenſius.
Arnoldus Raiſſius.
Arnoldus Wionius.
Auguſtinus Wigmannus.
Balduinus Junius.
Balthazar Moretus.
Baro le Roy.
Bonaventura Vulcanius.
Carolus à Manſvelt.
Carolus de Viſch.
Caſparius Gevartius.
Cornelius à Breda.

Cor-

Cornelius Columbanus.
Chriſtophorus Butkens.
David Lindanus.
Dionyſius Harduinus.
Egbertus Spitholdius.
Eraſmus Chocquierius.
Florentius de Cocq.
Franciſcus Davenport.
Franciſcus Goethals.
Franciſcus Sweertius.
Franciſcus vander Haer.
Georgius Colvenerius.
Guilielmus Maſius.
Guilielmns Spoelbergius.
Guilielmus Wildtſius.
Henricus Caniſius.
Henricus Farneſius Furnius.
Henricus Kinſchot.
Jacobus Bialus.
Jacobus Marchantius.
Joannes Baptiſta Grammajus.
Joannes Baptiſta van Helmont.
Joannes Bertelius.
Joannes Brantius.
Joannes Cheapeavillius.
Joannes Chocquierius.
Joannes Delrio.
Joannes Gevartius.
Joannes Guilielmi Gorcomius.
Joannes Macarius l'Heureux.
Joanna Othonia.
Joannes Rivius.
Joannes Sturmius.
Joannes Walteri Viringus.
Joannes Woverius.
Joſephus Geldorp à Rykel.
Juſtus Rycquius.
Laurentius Beyerlinck.
Ludovicus de Caſtro.
Ludovicus le Pipre.
Maria de Succa.
Martinus Hamconius.
Matthias Hauſeur.
Matthæus Weſenbeeck.
Michaël Paludanus.
Nicolaus Mutſardus.
Norbertus Delbecque.
Petrus Bertius.
Petrus Gilkenius.
Petrus Marchantius.
Petrus Vanderanus.
Robertus Sweertius.
Simon Caulerius.
Theodorus Marcilius.
Valerius Andreas.

Digitized by Google

INDEX

Perſonarum, quarum dies obitûs in hoc Opuſculo adnotatur.

Numerus aſſignat Paginam.

A.

AHuys Lucas. 115
Allegambe Philip. 114
Angelis Maria Margareta ab. 22
Antony Adrianus. 137
Arenbergica Arſchot. Maria Anna. 57
Armoyeur Joannes L' 17
Axonius Joachim. 126

B.

BAcherius Petrus. 24
Backx Rumoldus. 75
Bade Joſeph. 71
Baertius Arnold. 74
Baerts Lambert. 23
Baexius Joach. 126
Bajus Jacob. 136
Bannius Joan. Albert. 116
Barchman Corn. Joan. 66
Baſrode Andreas van. 180
Bauhuſius Bernard. 163
Bauwens Amand. 170
Beauver Joan. 54
Becanus Martinus. 15
Bennink Joan. 19
Bentherat Carolus. 79
Bernartius Joan. 173
Beth Joannes Adrianus van. 162
Beugem Joan. Ferd. de. 42
Blanche Guilielmus. 155
Blanche n. conſil. 156
Blomertius Auguſt. Alſt. 162
Bochius Joan. 8
Bolius Jacob. 108
Bollandns Joan. 118
Boonen Jacob. 83
Borremans Joan. 125
Boſch Ambroſ. vanden. 98
Bouchy Nicolaus. 34
Boudart Jacob. 157
Bourgeſius Jacob. 95
Brias Theodor: de. 162
Brienen Abraham van. 121
Bruneau Jacob. 104
Buggæus Joan. 115

C.

CAlenus Henricus. 21
Cambri Joanna de. 90
Cammen Joan: vander. 73
Campenhout Philip. van 87
Campen Georg: van 136
Cæſareus Andreas. 158
Capello Marius Ambroſius. 131
Capronius Franciſc. 38
Caſtellanus Petrus. 31
Caſtro Jacob. Boſius à 31
Catſius Balduin. 69
Catſius Jacob. 69
Caterus Joan. 88
Cauſſebant Joſeph. 54
Caverſon Petronella van. 56
Chamart Natalis. 116
Chamberlain Georg. 176
Charneux Henric: de. 102
Chaſtel Judocus du. 56
Chriſtophori Dionyſ. 101
Clarius Joan. 104
Claes Guiliel. Marcel. 93
Claſenius Petrus. 90
Claeſſens Joan. Cornel. 103
Clericus Hubertus. 62
Codde Petrus. 174
Coetenburg Simon Franciſcus. 66
Cole Paſchaſius. 147
Conink Franciſc: de. 38
Coppens Franciſc. 45
Coriache Amathus de. 134
Corſelius Gerard. 124
Cort Chriſtianus de. 148
Coſterus Franciſc. 168
Coutereau Henric: de 167
Crachtius Stephan. 82
Cremers Gerardus. 80
Croon. Theodor: vander. 77
Cruyſſen Andr: vander 58
Cuykius Henricus. 134
Cuykius Petrus. 29
Cuyper Joan: de. 169

D.

DAlenoort Guil. Fred. 161
Delrio Martinus. 144
Deſamori Natalis. 38
Donker Theodor. 88
Drué Maria. 89
Drunæus Gerad. 14
Duſſeldorpius Franciſc. 47

E.

Digitized by Google

E.

EElkens Franciſc. 58
Eggius Adalbert. 88
Elborne Henr: Franc: d' 1
Elſt Anna vander. 146
Elſt Andreas vander. 15
Emmery Franciſc. 28
Erkelius Nicol. 124
Erkel Joan. Chriſt. van 49
Eſpen Ludovic. van. 85
Eſpen Zegerus Bernardus van. 130
Eſtius Guilielm. 122
Eſtrix Matthias. 103
Eugenia Iſabel. Clara. 168
Evangeliſta R. P. Joan. 154

F.

FAbricius Guilielm. 37
Faille Anna Della. 111
Farvaques Franciſc. 93
Farvaques n. can. 39
Ferron Leonard. 159
Fiënus Thomas 40
Flemalle Ludov. 153
Froidmont Euſtach. 117
Fromondus Libert. 149

G.

GAbriëlis Ægid. 10
Gæringus Philip. 160
Gael Hugo Franciſc. 105
Gazæus Guilielm. 105
Geeraerdts Guilielm. 63
Geet Eraſmus van. 135
Geſtel Arnold: van 23
Giſanius Obertus. 91
Gillemans Ignat. 99
Ginderdeuren Petrus van. 100
Glano Joan. Bapt. à. 21
Gorlæus Abraham. 54
Graef Anton: de. 61
Graef Joan: de. 151
Graft Henric: vander. 80
Gratiani Thomas. 56
Grand Barthol: le. 111
Groot Joan: de. 157
Grobbendonk Ignatius Auguſtinus de 73
Gurnez Joan: Anton: á. 148
Gudulinus Petrus. 141

H.

HAchten Sebaſt. van. 71

Haecht Jacobus van. 93
Haeſtenius Benedict. 94
Haen Joan: Hiacint: de. 156
Halloix Petrus. 93
Hamayde Ignat: Franc: de la. 42
Haræus Franciſcus. 8
Havermans Macarius. 33
Hazaert Anton. 136
Hecke Judoc: van. 39
Hecke Theod:Fred:van. 1
Heemans Ægidius. 28
Hênin Anton: de. 167
Hennebel Joan.Libert. 97
Henſchenius Godefrid. 118
Herremans Adrian. 143
Heumen Ludolp: ab. 24
Heumen Joan: ab. 108
Heuſſen Hugo Franciſc: van. 26
Heuterus Pontus. 100
Heyden Joan: vander. 158
Heylewegen Nicolaus Franciſcus. 102
Heys Joannes. 10
Hocqueux Philip.Joſeph. 2
Hoffreumont Jacob. 19
Hoffreumont Servat. 59
Hondt Joan: Martin: de. 110
Hooge Joan: de. 59
Hoogkamer Sebaſt. 32
Hoogwerf Bernard. 141
Hoſpital Mart. P. 55
Hovius Matthias. 72
Huygens Guilielmus. 152
Huygens Gummarus. 150

I.

JAille Petrus Paſt. 108
Jaille Petrus. 139
Janſenius Cornelius. 62
Janſenius Joannes. 48
Janſſens Elinga Joan. 165
Janſſonius Jacobus. 92
Jeſu Anna á. 37
Ignatio Henric. á S. 96
Jonge Laurent: de. 165

K.

KErkherdere Joan. Gerard. 41
Kinder Lambert: de 4
Knotter Joannes. 13
Kool Godefridus. 4
Krys Cornel. Franc. 128
Krys Jacobus. 155

L.

LAcman Joannes. 122
Lamberti Henric. 25
Lamberti Gaſpar. 78
Lambrechts Matthias. 74
Lancelottus Henricus. 7
Lapide Cornelius á. 38
Ledrou Lambertus. 64
Leſcaille Georgius. 133
Limborch Petrus van. 10
Linden Judocus vander. 14
Lindeborn Joannes. 99
Lippeloius Zacharias. 164
Lipſius Juſtus. 43
Lobs Petrus. 87
Locrius Ferreolus. 104
Loneux Lambert: de. 31
Loyaerts Samuel. 118
Loyaux Martin: la. 141
Lucas Franciſcus. 28
Lumnius Fredericus. 31
Lupus Chriſtianus. 87

M.

MAlen Cornel: van der. 53
Maes Bernardinus. 179
Maeyere Jacob: de. 29
Maigretius Georgius. 67
Maillart Nicolaus. 133
Malderus Joannes. 148
Marius Leonardus. 142
Marſelaer Frederic: de. 157
Maſius Carolus. 70
Maſius Gisbertus. 87
Medenblikius Rumold. 159
Meer Cornel: vander. 152
Melis Petrus. 68
Mennens Guilielm. 180
Meppelen Henric: van. 49
Mercator Reinerus. 123
Mercerus Guilielmus. 101
Meur Carolus de. 16
Mey David vander. 160
Middendorpius Jacob. 8
Mintart Joan. Chryſoſt. 27
Miræus Joannes. 7
Miræus Autbertus. 145
Modershon Juſtus. 5
Modæus Martinus. 4
Montius Paul. 151

N.

NAvæus Joſephus. 53
Neelſius Nicol. 19
Neercaſſel Joannes. 76
Neeſen Laurentius. 70

Digitized by Google

Nemius Gaſpar. 164
Neſſe Guilielmus de vanden. 34
Nieulande Joan: van 40
Noels Petrus. 29
Nomius Nicolaus. 147

O.

OEm Hermanus. 62
Ooms Joannes. 90
Ooſterling Matthias. 149
Oppenbrouwer Petrus. 20
Opſtraet Joannes. 166
Ottenbergius Herman. 70.
Oudartius Nicolaus. 77
Oultremans Henric:d'. 129
Outkeusden Adrian. 102

P.

PAep Cornel: de. Pater. 86
Paep Cornel: de. Fil. 125
Paige Hieron: le. 170
Paludanus Joannes. 29
Pantinus Petrus. 177
Papenbrochius Daniel. 82
Paradanus Petrus. 120
Paradanus Cæcilia. 11
Pasmans Barthol. 106
Pauwels Joannes. 38
Peeters Laurentius 114
Peckius Petrus. 91
Pelt Petrus. 44
Peſſer van Velſen Bartholom. 44
Petri Bartholom. 27
Picquery Franciſcus. 96
Pie Joannes. 69
Pighius Stephanus Vinandus. 143
Pierrot Antonius. 5
Piet Balduin: vander. 13
Pius Archidux Albert. 88
Philippi Henricus. 167
Plaet Anton: vander. 103
Plempius Vopiſcus Fortunatus. 171
Pontanus Jacobus. 5
Potkamp Gerardus. 174
Purmurent Suitbertus. 21
Purmurent Petrus. 25
Puteanus Erycius. 120
Putkamerus Joannes. 81

Q.

QUarrè Joannes Hugo. 45

R.

RAmpen Henricus. 37
Recht Joannes. 138
Regius Martinus. 42
Renardi Guilielmus. 173
Riſac Antonius. 54
Riſpens Joan. Bapt. 12
Rivette Jacobus. 15
Robyns Ægidius. 12
Romanus Adrianus. 61
Roos Henricus. 12
Roos Joannes. 67
Rooſe Petrus. 34
Roover Guiliel: Franc: de. 128
Roſcam Paul. 125
Roſweydus Heribert. 132
Roucourt Joannes. 127
Rovenius Philippus. 137
Rubens Petr. Paul. 73
Rubenius Philippus. 109
Ruth Ans Erneſt. 32
Ryke Auguſtin: de. 66
Ryke Paulus de. 81
Rhyn Henricus van. 56
Ryswyck Theodor: van 79

S.

SAffius Jacobus. 17
Sanders Levina. 19
Santvoert Jacobus. 60
Scaddæus Joannes. 112
Schaille Henricus. 67
Schep Wilhelmus. 66
Schelſtraete Emmanuël. 50
Schore Elizabet van. 178
Schottus Andreas. 14
Schottus Franciſcus. 41
Schriekius Adrianus. 177
Schultingius Cornelius. 57
Schuur Andreas vander. 9
Sedulius Henricus. 37
Servranx Seraphina. 25
Seſtigh Joannes van 160
Simonius Petrus. 132
Sinai Adrianus van. 104
Sinnich Joannes. 64
Sixtius Sibrandus. 6
Sluperius Jacobus. 96
Smet Ægidius. 174
Snellaerts Dominicus. 35
Snyers joan. Chryſoſt. 118
Soenens Carolus. 71
Soenens Jacobus. 172
Stalenus joannes. 24
Stakenburgh Cornel. 160

Steen-

Steenhoven Cornelius. 48
Steyaerts Martinus. 55
Stock Henricus van der. 150
Stokmans Petrus. 64
Stoefs Guido. 181
Sucquet Antonius. 27
Swaen Martinus de. 46
Sweerinck joannes. 24
Sylvius Franciſcus. 33

T.

T*Ack Joannes*, vide poſt Indicem.
Thibaut Sebaſtian. 81
Thiſius Leonard. Ignatius. 107
Timmer Willebrord. 139
Tirinus Jacobus. 90
Tombeur N. Conſil. 39
Tombeur Nicolaus. 71
Tonſern joannes Adolphus. 86
Torre jacob: de la. 119
Tricot N. Capell. 180
Trieſt Antonius. 72
Tuldenus Diodorus. 163
Tydghad ſeu Tygang Laurentius. 163

V.

V*Adder Adrianus de.* 171
Vaes joan. Libertus. 51
Valkenburg Godefrid. 124
Vallenſis Andreas. 178
Velde Martin: van. 51
Velde Martin. Stephanus van. 161
Vercouwen jacobus. 110
Verhagen Andreas. 120
Verheyen Philippus. 18
Verhocht joan. Bapt. 11
Verhoſt Gaſpar. 83
Verhoog Theodorus. 128
Verkampen judocus. 162
Vernimmen joannes. 95
Vernimmen Philippus. 97
Vernulæus Nicolaus. 4
Verſchuren Franciſc. 115
Viane Franciſc: van. 112
Vicq Henricus de. 73
Vignacurtius Maxim. 164
Villeers Gerardus de. 66
Vincent Lambertus. 79
Viſch Jacobus de. 59
Vivien Franciſcus. 74
Vliedt Franciſcus van der. 86

Voel-

Digitized by Google

Voeller Anna Maria. 27
Vondel Judocus. 22
Voſmerus Saſboldus. 60
Voſſius Gerardus. 45
Vrientius Maximilianus. 180

W.

W*Achtendonk Joannes à.* 81
Wachtelaer Joannes. 130
Walenburch Adrianus de. 117
Walenburch Petrus de. 176
Wallius Ægidius. 151
Walvis Ignatius. 63
Wandelman Joannes. 80
Warlet Jacobus M. 90
Waterloop Clemens de. 58
Werm Gerardus van. 9
Weymeſius Stephan. 81
Weyn Joannes. Baptiſta. 6
Wielen Joan. Stalpardus van der. 181
Wiggers Joannes. 46
Willemans Guilielmus. 89
Wilmart Philippus. 118
Windt Joannes de. 130
Wiringus Joan. 82
Witte Ægidius de. 52
Witte Theodor: Cornelius de. 141
Wolfius Auguſtinus. 145

Z.

Z*Aman Jacobus.* 53
Zande Petrus vande. 77
Zoeſius Henricus. 27
Zoeſius Nicolaus. 105
Zuerius Philippus. 47
Zul Jacobus 'T. 91
Zypæus Franciſcus. 156

Digitized by Google

Mortis *Dies.*	*annus*	
10.	1694.	Joannes Tack ingenioſſimus & piiſſimus laïcus, Superior Alexianorum Lovanii & fratrum iſtorum per totam Brabantiam Provincialis, qui potiſſimè in monaſterium Lovanienſe invexit exemplarem diſciplinam, adjutoribus eximio Doctore Gummaro Huygens & Guilielmo Willemans Oratorii Lovanienſis Superiore, quos Religioſis illis laïcis confeſſarios aſſignaverat Archi-epiſcopus Alphonſus. Edidit librum Flandricum: *Den volmaekten Religieus*. Alibi ponitur obitus Joannis Tack 10. November 1694.

Digitized by Google

E R R A T A.

Fol.	*Linea.*		*lege.*
4.	12.	*Inſtitutionum*	*Inſtitutionum Politicarum*
4.	26.	evitandam	ad evitandam
34.	16.	cujus conſtat	quum conſtet
125.	8.	*Juſtinianum*	*Juſtinianeum*
125.	22.	Monialibus	Monialibus rejectus
128.	25.	Subdiaconûs	Subdiaconatûs
130.	3.	Geſta	Scripſit Geſta
130.	11.	orationibus	orationes
132.	18.	de Puero	de Puero Jeſu
136.	4.	qui diu	qui dum diu
140.	ult.	edita ſunt	edita non ſunt
157.	15.	veritate	virtute

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google